

AB

58818

1701
1702

~~F. L. Kachry~~
G. L. Kachry
1248

DISCIPLINA MORVM

IVVENIEVS LITERARVM STVDIOSIS

TRADENDA

APTISQVE PHILOSOPHORVM SENTENTIIS

ET SACRARVM LITERARVM DICTIS

ILLVSTRATA



AVCTORE

M. HENRICO KVNHARDT

ORD. PHILOS. ADIVNCTO
BIBLIOTHEC. ACAD. CVSTODE
ET IN PAEDAGOGIO COLLABORATORE.

HELMSTADII

SVMTIBVS C. G. FLECKEISENII.

MDCCLXXXIX.

1799

DISCIPLINA MORVM

IVNERVS LITVARIVS FVNDVS

TRAVNVS

ITVVE TIVNOSTVORVM FVNDVS

ET SALLVSTIVS TIVRIVS

AVSTRIVS



AVSTRIVS

M. HENRICO KUNHART

ET ALIVS AVSTRIVS
AVSTRIVS AVSTRIVS
AVSTRIVS AVSTRIVS

Handwritten signature or initials in blue ink.



VIRO
SVMME VENERABILI DOCTISSIMOQVE
HENRICO PHILIPPO CONRADO
HENKIO

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI
MONASTERII AD S. MICHAELIS LAPIDEM ABBATI
LITERARVM SACRARVM IN ACADEMIA IVLIO-CAROLINA
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO
ET
SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORI

VERITATIS DEFENSORI STRENVO

HOC QVALECVNQVE PIETATIS AC REVERENTIAE

DOCUMENTVM

GETVLIT

AVCTOR.

P R A E F A T I O .

Multa quidem recentissimis temporibus edita est librorum supellex, ad conformandos iuuenum mores et pietatis sensum excitandum accommodata; nemo autem, quantum equidem sciam, ita prospexit studiosae iuuentuti, vt latino sermone doctrinam morum, ordine iusto dispositam, scriberet. Nam vel singulos tantum locos in

libris huiusmodi raptim vndique collectos, sine ordine et modo, vel vnus alicuius philosophi veteris sententias congestas, vel denique virorum virtute nobilium exempla ad imitationem proposita inueni. Quare quum duplicem vtilitatem afferre videretur talis libellus, qualem scribere tentavi, alteram vt latinae linguae studium coniungeretur cum grauissima morum doctrina, repeterentque lectores Xenophonis, Ciceronis, Senecae etc. locos memorabiles, alteram vt omiſſis praecipis, neque ad morum disciplinam pertinentibus, neque, si pertineant, iuuenum aetati necessariis, ea praesertim officia, quae a literarum cultoribus seruanda sunt, latius explicarentur: hunc laborem suscipere conatus sum, qui, nisi omnis me spes fallit, haud ingratus erit scholarum magistris. Nec dubito, quin etiam in academiis ad excitandum humanioris doctrinae studium
hic

hic qualiscunque libellus possit adhiberi. Satis fructuosam autem putabo scriptionem instituisse, si scholasticorum iuuenum animos hisce praeceptis bene praeparari et ad honestatem conformari posse, sperare licebit. Et quum ad hos potissimum respicerem, duos veluti scopulos euitare studui: primum ne materiem docendi praeriperem magistris, deinde ne iuuenum animos distraherem eorum officiorum, quae nondum cadunt in teneram aetatem, explicatione. Sic parentum, coniugum, dominorum officia fere praetermisi. Interdum autem, iis praefertim in locis vbi rei grauitas postulare videbatur, vt fufius tractarem et quasi inculcarem aliquod officium, longior fui. Ordo rerum idem fere est, quem Ill. Kantius sequitur in sua doctrina virtutis, a quo tamen passim recessi. Cur breuiter tantum scholarum formulas attigerim, facile ex libelli sine intelligent lectores. Quae autem
de

de philosophia morali praemissa sunt, iis etiam, qui Kantiana dogmata latino sermone prolata facilius intelligunt, grata fore confido. Ad acuendum iuuenile ingenium quaestiones, tanquam additamenta, multis in locis adieci. Neque sacrarum literarum dicta negligenda ratus plura in notulis subiunxi effata bibliorum.

CAP. I.

DE MORVM DISCIPLINA, HONESTATISQVE OFFI-
CII IN GENERE.

§. I.

Homines eo maxime differunt a brutorum natu-
ra, quod, rationis facultate praediti, non causas
tantum et progressus rerum videre, ac similitudi-
nes comparare, sed fines etiam pro lubitu sibi
praefigere, omnemque vitam iudicio arbitrioque
suo degere possunt, * cum beluae contra sensu
moueantur.

§. II.

Non autem rationis tantum particeps est
homo, sed voluptate etiam et dolore adficitur,
vt quae grata sint sensibus, comparare studeat, in-
grata euitare. Et si vel ratione sola praeditus es-
set, vel, ferarum instar, sensu tantum mouere-
tur, nullam haberet officii notionem. ** Nec
vero

* Conf. Cic. de officiis L. I. Cap. IV. §. 3. sqq.

** Conf. Illustr. Kantii Fundamenta metaphysicae morum
supposita edit. II. p. 37-39.

Eiusd.

vero etiam, si cum tanta sensuum voluptate tantisque utilitatibus semper coniunctae essent actiones honestae, ut nihil suaderet voluptatis cupido, quod rationis legibus repugnaret, praecepta morum essent necessaria.* Quoniam autem saepissime fit, ut aliud cupiant sensus, aliud iubeat ratio,** omnis officii notio deriuatur ex ista momentorum repugnantia.

§. III.

Significat igitur officium actionem quamlibet honestam, rationis iussu, vel inuitis sensibus perendam.***

Cur nec Deum, nec animalia bruta officiis fungi dicimus?

§. IV.

Quantacunque enim sit sensuum et adfectuum potestas, ea tamen est mentis rationisque vis genuina, ut a factis honestis, vel consiliis certe, nulla vi externa, nullis voluptatum illecebris

Eiusd. doctrinam virtutis p. 2. sqq.

Cic. L. I. de offic. Cap. XVI. §. 4.

Huc pertinet Iacobi dictum Cap. I. v. 14. "Ἐκείνος πειροζέταις ὑπο τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας.

* Vid. quae contra Epicuræos monet Regiomontanus in Crit. rat. practicae p. 202. et locum de officii notione vere classicum p. 154.

** "Τὸ θελεῖν (voluntas a ratione proficiscens) παρορκεῖται μοι, τὸ δὲ κατορθοῦσθαι τὸ καλὸν ἐκ ἐπιθυμίας etc. Rom. VII. v. 18. 19."

*** Conf. Kantii doctrina iuris p. XXI.

bris possit prohiberi. Et quamuis plerosque mortalium lubricine potius, quam ratione duci videmus, * nemo certe negabit, aliter eos, si mentem excolere voluissent, vel adiumenta necessaria habuissent ad excolendam eandem, agere potuisse, nisi qui omnem de officii doctrinam vanam esse contendat. —

§. V.

Liberum hoc arbitrium, quo fit, vt vel praesentem sensuum titillationem, vel nostra tantum commoda, vel denique salutem vniuersam humani generis et honestatem factorum atque consiliorum, finem nobis praefigere possimus, est omnium virtutum origo.

§. VI.

Liberi autem arbitrii potestatem nobis datam esse cognoscitur:

- a) e male recteque factorum conscientia, cuius tanta vis est, vt quemuis hominem, ** modo ne sit e pecudum genere, clandestinorum etiam scelerum poeniteat. Haec enim neminem vexare posset, si temere et instinctu quodam, bestiarum instar, ageremus.
- b) e pudore, quo reuocamur a turpibus factis, priusquam peragantur, et ex ipsa de suscipiendis facinoribus deliberatione. Nam quis omnino dubitare, aut cuius animus in deli-

* Iacob. III, 2. Mos. L, I. Cap. 8. 21. 1 Cor. II, 14.

** Rom. II, 14. 15.

deliberando distrahi posset, si cupiditatum rerumque externarum imperio vel inuiti parereceremus? *

c) ex notione officii, quae, sublata arbitrii libertate, ne cogitari quidem posset. Quare qui cupiditatum seruitio liberari hominem posse negant, siquidem sibi volunt esse contentanei, de morum praeceptis et officio nihil queunt dicere. **

d) ex poenis, quibus adficiuntur scelesti et laude bonorum. Cur enim punirentur illi, cur hi laudarentur, si aliter, atque fecerunt, agere nequiuissent?

Nonne frustra leges in ciuitatibus constituerentur, si tantam in hominum animos vim exercerent cupiditates? Denique cur vana est coram iudicibus eorum excusatio, qui, cum scelus in se admiserunt, vel aliorum impulsu, vel perturbatione aliqua, vehementique adfectu commotos se peccasse fatentur?

§. VII.

Quum interim difficillimum sit, cupiditates in vetitum nitentes *** coërcere, et veluti freno sub-

* Conf. Kant. Fundam. Metaph. mor. p. 101. ed. 2.

** Idem fere Tullius indicat de disciplinis eorum, qui summum bonum suis commodis, non honestate metiebantur. L. 1. de Off. Cap. II. §. 6-9.

*** Kant. Doctrina virtutis p. 3. introd.

Conf. Ciceron. Paradoxon V. 3. "Illa cupiditas honoris, imperii etc quam dura est Domina! quam imperiosa! quam vehemens! —"

subigere: in eo vera cernitur virtus, ut earum impetum forti animo sustineamus, nec unquam a recto honestatis tramite nos abduci patiamur. * Nam virile robur, et animi fortitudo haud vulgaris in hoc bello requiritur.

§. VIII.

Haec autem fortitudo proficisci debet ab animo, rationis legibus honestatisque praeceptis constanter obtemperante. Nam qui vel unam cupiditatem vincit, ut indulgeat alii, vel poenarum metu, praemiorumque spe ductus reprimat libidinum vehementiam, servile prodat ingenium, ** nec verae fortitudinis laudem adipiscitur. Non enim pro honestate, sed pro suis tantum commodis pugnat. ***

§. IX.

* Nobis quoque militandum est, inquit Seneca, et quidem genere militiae, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandae sunt inprimis voluptates, quae facua quoque ad se ingenia rapuerunt." Conf. anteced. in Epist. 51.

Meminerint iuvenes praeclari apud Xenophontem loci de Hercule, qui, cum in huius positus esset, dubitans quorsum iret, voluptatis lenocinia contemnit. Memorab. Socr. L. II. c. 1. §. 21. sqq. Nam in eodem fere vitae statu collocati sunt. Qui fortis aduersarii conatus cum animi constantia reprimat, in eo virtutem esse dicimus; quod scite docuit Kant in Doctrina virt. p. 3. et 4. Apti igitur etiam est vox virtutis ad significandam fortitudinem moralem, sine qua cupiditates vincere nequimus.

** Rom. VIII, 15. 1 Ioh. 4, 18.

*** Fortitudinem enim recte a Stoicis definiri, cum eam: virtutem esse dicant propugnantem pro aequitate, observat Tullius Cap. XVIII. (L. I. de offic.) §. 2. cf. 1 Cor. 16, 13. Hebr. 12, 3.

Itaque virtutem et morum honestatem neque nostris ipsorum commodis, * neque factorum, quae sub sensu cadunt, splendore, nec etiam facinorum euentu, sed animi et consilii, quod quisque in agendo sequitur, naturali bonitate metimur, ** vt virtutem colere dicatur, qui ab eo, quod honestum esse cognouerit, nulla vtilitatis specie, nullo damni metu deterreatur. Nam si actionum humanarum dignitas genuina ex euentu et splendore externo iudicaretur, vnde fieret, vt parua beneficia, ex prompta miseriam aliorum subleuandi voluntate nobis tributa, pluris faciamus, quam largitiones ambitioforum? ***

Deinde cur eum, qui nobis inuitus atque imprudens nocuit, vel, cum benefacere vellet, detrimentum attulit, vituperare non solemus? †

Cur

- * "Nam qui summum bonum sic instituit, vt nihil habeat cum virtute coniunctum, idque suis commodis, non honestate metitur, hic, si sibi ipse consentiat, et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec iustitiam, nec liberalitatem." Cic. I. c. C. II. §. 6. Quum autem Cicero, qui Stoicos maxime sequeretur, nihil vtile esse censeret, quod non esset honestum, longe recessit a nostra sententia. Vid. sqq.
- ** Quod praeclare exposuit Kant. in Fundam. metaphysices morum p. 1-8. et 15. Cf. Matth. VIII, 17. 18.
- *** Quid iudicabat olim Christus de vidua pro facultatum modulo benefica?
- † Rectissime Stobaeus: "Bonus est, inquit, non qui haud facit iniuriam, sed qui ne vult quidem Serm. 9. p. 110. lin. 56. Et iure laudatur illud P. Syri: Exfertur

Cur splendissima, et nobis aequae ac aliis utilia improborum facta reprehenderemus, nisi, quod iustum et honestum est, per se sanctum esse censeremus? An laude dignum putaretis eum, qui ditissimo cuique pecuniam eriperet, eamque daret pauperibus, ita ut possessor ille bonorum se priuatum esse aliqua facultatum parte non sentiret? Prudentiam calliditatemque forsitan admiraremur, nullo modo autem reuereri possemus hominem istum, qui finem per se bonum illicito modo consequi non erubisset. —

Quo rectius officiiis satisfecimus, eo maior est, quamuis a nemine laudemur, nec ullum ex rebus gestis commodum percipiamus, animi tranquillitas.* Quoniam haec autem sequitur honeste facta, et tum demum in animo existit, quum rationis praeceptis, non sensuum cupiditatibus obtemperatum est, intelligitur actionem aliquam per se bonam esse posse.**

§. X.

tur opere nequitia, non incipit." Vid. Senec. de Const. Cap. VII. etc. Benef. Cap. XIV. Verissima etiam est Democriti sententia, qui virum bonum aut improbum, "non ex operibus tantum, sed etiam ex voluntate spectari," iudicabat. Quidnam respondit Pythia, quum Cuius depositam apud se pecuniae summam retinere voluisset? Conf. Iuu. Sat. 13. v. 208. fqq. Senec. Epist. 95. Cic. off. III. C. 19. et C. 8.

* Hebr. XIII, 18.

** Quam falsa sit eorum opinio, qui hanc animi securitatem pro causa vel origine (momento) bonarum actionum habeant, optime docet Kantius in doctrina virtutis p. VII. et VIII. praefat.

§. X.

Plurimum igitur differunt actiones vere honestae, ad rationis normam sponte directae ab iis, quae externam quidem honesti speciem prae se ferunt, non autem a bona voluntate proficiuntur. Et qui, vel priuatis commodis allectus, vel damni metu territus officium facit, quum non ipsam honestatem, sed prorsus diuersum ab ea finem petat, qui haud raro sceleribus etiam obtineri potest: non erit constans et indefessus virtutis cultor, sed sublata praemiorum spe, poenarumque metu extincto deseret officium. Nam recte Cicero: "non est, inquit, diurnus officii magister timor."* Quo pertinet etiam memorabile Chrysoctomi dictum, qui: "non minus, inquit, fur est, qui metu a furto abstinet, furtum ipsum non perosus, nec damnans, quam ii, qui furantur. Et illi homines non sunt beluis meliores; nam illae quoque, si timeant homines, aut canes, gregem custodientes, a rapina abstinent."

§. XI.

Virtutem igitur (seu fortitudinem illam moralem) sic definire possumus; vt sit prompta, rationis legibus semper obtemperandi, et libidinem ab honesto reuocantem
coer-

* Philippic. 2, Cap. 36. Conf. in Ei. Lib. III. de Offic. Cap. IX. praeclaram de Gygis annulo narrationem. Aul. Gellius Lib. XII, Cap. I. de Peregrino philosopho.

coërcendi voluntas, a pudore et gratuito recti cultu proficiscens.*

Quaeritur:

- a) Num facile fit, aliorum virtutem recte aestimare;
- b) quid faciendum fit, vt exploretur, quantum nos ipsi profecerimus in honestatis cultu;
- c) num diligentia, parsimonia, continentia, multarum rerum scientia per se sint aestimandae;
- d) ** an aliorum exempla, quid nobis faciendum sit, docere queant.

§. XII.

Constans et indefessus honestatis cultus summum bonum est, in eoque humanae naturae dignitas atque excellentia cernitur.

Opes, diuitiae, copiae, et reliqua his similia, commodorum, quae possessori praebent, magnitudine aestimantur; virtus elatior est, quam vt comparari possit cum vlllo emolumento. Illa pretium habent — virtus dignitatem***

Quae-

* Bene praescus quidam, ni fallor ipse Tullius: Virtus, quae non est gratuita, virtutis nomen non meretur. Conf. Luc. 17, 10.

** Iudicent lectores, quatenus eorum, qui hoc affirmant vera, quatenus falsa sit opinio. Conf. Kant. Fundam. Metaph. mor. pag. 29. 30. 31.

*** Acute differunt de harum notionum differentia Kantius in Fundam. metaph. mor. p. 77. 199.

 Quaestiones:

- 1) Num virtutem colere dicetur, qui vnam alteramue honestatis legem obseruat? *
- 2) Verane an falsa est Stoicorum sententia, qui virtutem gradatim perfectiorem reddi posse negabant? **
- 3) Num recte definitur virtus per habitum seu consuetudinem bene agendi? ***
- 4) Quid statuendum est de iis, qui vnam tantum virtutem esse contendunt? † Quomodo intelligi volunt, qui plures esse virtutes affirmant?

§. XIII.

Quum omni animantium generi "hoc a natura tributum sit, vt se tueri studeant, eaque comparare, quae ad viuendum necessaria sunt," ††† sequitur homini cum ceteris animantibus hoc esse commune. ††† Attamen nec eodem modo, quo pecudes, auertere studet nocitura, nec tam definitas habet naturae necessitates, vt limites constitutos transgredi nequeat. Nam simulac rationem paululum excolere coepit, non instinctu, sed consilio satisfacere cupiditatibus, futuris commodis prospicere, et mala imminetia propulsa-

re

* Iacob. II, 10. Matth. XXIII, 23.

** Vid. Garuii V. C. animaduers. in Ciceronem p. 20, et 28. sqq.

*** Conf. Kantius in doctrina virtut. p. 9. sqq.

† Kant. I. citato p. 29.

†† Cic. L. I. Cap. IV.

††† Eph. V, 29.

re discit. Nec id solum studet, vt corpus vitam-
que tueatur, sed voluptates etiam et vitae incun-
ditates anquirat.

§. XIV.

Fit autem saepissime, vt hoc naturale felicitatis studium officiis repugnet; neque erat, quod Socrates, Cicerone teste, execraretur eos, qui honestatem ab utilitate seiunctam esse censerent.* Nam ad felicitatem non id solum pertinet, vt malefactorum conscientia nunquam vexemur, isque infelix sine dubio habetur, qui naturae desiderijs satisfacere nequit.

§. XIV.

* Quis Regulum, iuris iurandi conservandi gratia Carthaginam ad exquisita supplicia proficiscentem (vid. Cic. de Off. L. I. C. 13. et L. III. C. 27. 29. 30.) felicem fuisse putabit, nisi qui cum Tullio *παράδοξον* Stoicorum opinionem defendere velit, cui quidem ille ludens potius (quod fatetur in praefatione) quam serio calculum adiecisse videtur. "Non magnitudo eius, inquit, exercebatur a Poenis, non grauitas, non fides, non constantia, non vlla virtus, non denique animus ipse." Paradox. II, 1. — Recte, sed cruciabatur tamen. Et qui nihilominus felicem eum fuisse statuit, aequè ridiculus videtur, ac Posidonius ille Stoicus, qui, cum Pompeius eum inuisset Rhodi, vehementes podagrae dolores dissimulans eosdem malum esse negabat. Vid. Engelandi (G.) Untersuchung über die Sittenlehre der Alten; aus d. Engl. Halle 1775. p. 78., qui liber largam exemplorum copiam prodit. —

Huc pertinent Scipionis, captiuam, quam vehementer amabat, sponso reddentis — Fabricii — Socratis — Christi — exempla, quae satis euincunt, non eandem esse virtutis et felicitatis notionem. Cf. Kant. Crit. rat. pract. P. I. L. I. C. I. nota II. p. 61 - 68.

§. XV.

Rerum enim externarum, in mundo, qui sub sensus cadit, obuiarum natura, non hominis voluntate, sed secundum certas aeternasque leges, quae mortalium arbitrio non parent, regitur. Hinc probe distinguunt Stoci. Των ὄντων, dicunt, τα μὲν ἔστιν ἐφ' ἡμῖν, τα δὲ ἐκ ἐφ' ἡμῖν.*

§. XVI.

Aliquam certe, nec minimam utilitatem actiones honestae nobis praebent — inuictam nempe animi securitatem, et laetam recti conscientiam.** Praeterea vero diligentia, parsimonia, veracitas, multaeque aliae virtutes, si non semper, saepissime tamen feliciores nos reddunt.

§. XVII.

Hinc morum doctores in diuersas abiere partes, quum alii felicitatem, alii virtutem ipsam finem bonorum iudicarent.*** Ad hos proprius acce-

* Vid. Epicteti Enchiridion Cap. I. init. cf. Kant. Crit. rat. pract. p. 224. Haec [τα ἐκ ἐφ' ἡμῖν] eadem sunt, quae a Romanis res externae vocantur. Vid. Cic. Off. L. I. Cap. 20 §. 1. nota I. Heusing.

** Hebr. XIII, 18.

*** Explicentur breuiter Epicuri, Stoicorum, Socratis, Cyrenaicorum disciplinae. Vid. Tjedemanni System der Stoischen Philosophie. Konz Abhandlung über die Stoische Philosophie. Garve Anmerk. u. Abhandl. z. Cicero p. 12. sqq. Bruckeri Histor. crit. philos. Diog. Laërtius in vita Epicuri, Socratis et reliqq. Largam librorum copiam, ad philosophiam Stoicam pertinentium, et acute cogitata continet libellus Wegscheideri: Ethices Stoicorum recentiorum fundamenta etc. Hamb. 1797.

accedunt Stoici, Wolfiani, et qui sensum moralem ducem sequi nos iubent. *

§. XVIII.

Iam quod attinet ad disciplinam illorum, qui felicitatem summum hominis finem esse statuunt, lubenter quidem concedimus, a) neminem vere felicem esse posse, qui malefactorum conscientia vexetur; ** et

b) multo feliciter, quam reuera iam est, futurum esse genus humanum, si nemo non rationis praecepta constanter diligenterque coleret. ***

§. XIX.

Quum autem negari nequeat

- a) felicitatis notionem plura continere, quam recti conscientiam (vid. §. 13.)
 b) pro variis mortalium necessitatibus atque desideriis diuersam a quoque homine fingi felicitatem, nec adeo singulos in iis, quae concupiscant, sibi constare, † sed modo hanc modo illam vitam pro beatissima habere;

* Comparat, acute ut solet, horum et Ἐὐδαιμονιστῶν sententias Kantius in Fund. Metaph. mor. p. 90-93. ed. II.

** Vid. Kant. Critic. rat. pract. p. 209. 'Der Mensch wird fqq. ad pag. 212.

*** Salom. prou. 14. 34. Fufius hic explicetur, quantum operi humani generis salutem augere possent temperantia, iustitia, beneficentia, industria et reliquae virtutes.

† Vid. Kant. Fundam. metaphys. mor. p. 46. a verbis: 'Es ist ein Unglück, daß der Begriff der Glückseligkeit ein so unbestimmter etc. ad pag. 47.

- c) sublata officii, per se et propter se sancti, notione suaderi quidem, non autem praecipii posse, vt felicitati studeamus, quod cuiusuis iudicio tum relinquendum esset, quomodo vellet se reddere beatiorem; * denique
- d) istam, quam illi vnicam esse falso censent, felicitatem (animi quietem rectique conscientiam) eo maiorem esse, quo magis nostra commoda posthabuerimus recto; et honestatis notionem, hanc ipsam ob causam, quod praestitis demum officiis tranquillitatem sentimus, ** antecedere oportere istum animi sensum: sequitur
- ab iis, qui a felicitate ducere velint honestum, omnem penitus euerti et aboleri disciplinam moralem.

§. XX.

Longissime igitur differt philosophia moralis a prudentiae consiliis, qualia quidam tradidere. ***

§. XXI.

Fines hominum vocantur res eae, quarum obtinendarum gratia sponte viribus suis vtantur. †

§. XXII.

* cf. Kant. I. c. sqq. et Crit. pr. rat. p. 47.

** Iterum suadeo lectoribus, vt legant Kant. praefat. ad doctrinam virtutis p. VII.

*** Chesterfield, Campe, Knigge, Roehoucault.

† Conf. Kant. doctrina virt. §. III. p. II.

§. XXII.

Sunt autem vel singulis propositi, vel omnibus pro communi humanitatis indole communes.

§. XXIII.

Res, quae tantam habet dignitatem, ut posthabitis reliquis omnibus, sit maximopere expendenda, pro summo, seu pro bonorum fine habenda erit.

§. XXIV.

Iam si vel iucundissimas voluptates, maximas vitae commoditates, et ipsam adeo vitam prae honesto contemnimus; si viros in summa rerum externarum inopia viuentes, qui sceleribus ad altissimos honores emergere potuissent, propterea, quod egestatem foedamque miseriam ferre, quam scelus in se admittere, maluerunt, admiratione et reuerentia prosequimur; eum contra, qui diuitiis, opibus, sanitate firmissima gaudet, si malitiosus est et iniustus, contemptu dignum censemus: facile colligitur, felicitatem pro virtutis fine non esse habendam.

§. XXV.

Nec profecto, si hunc finem natura nobis praefixisset, opus fuisset ratione.*

Cur hanc superuacaneam fuisse ducitis ad felicitatem adquirendam?

Num

* Liceat mihi et hoc argumentum Kantianum, quod magni equidem non facio, subiungenti. Vid. eius rationes in Fundam. Metaph. morum. p. 4-8.

Num bestiae in pratis liberè viuentes homi-
ne infeliciores vobis videntur?

An ipsa rationis facultas multarum miseria-
rum mater vocari potest?

§. XXVI.

Cur autem tantam virtuti dignitatem inesse
censeamus, et quomodo fiat, vt certas honesti le-
ges vel violare, vel seruare queamus, explicari
nullo modo potest. * Nam si alterum intelligi
posset, aliud quid statueretur necesse foret, in
quo maior esset, quam in ipsa virtute splendor et
dignitas, cuius iterum rationem desideraremus.
Alterum propterea, quod voluntatis libertas a
naturae legibus non pendet, id autem, quod ex-
plicare volumus, ad leges istas est referendum,
semper latebit hominum solertiam. —

Quaestiones:

- 1) Num Christus ab eorum partibus stetit, qui
praecipunt, vt ad suam quisque felicitatem
omnia referat? **
- 2) Quemadmodum intelligi vult, quum praeci-
pit, vt Deum magis, quam nos ipsos ame-
mus? — An omnino iuberi homines pos-
sunt, vt amore aliquem complectantur? —
Qualis esse debet amor iste?
- 3) Num Ioannes, qui Christi praecepta probe
tenebat, ea praecipere potuisset, quae dictis
infra

* Vid. Kant. Fund. pag. 120. sqq.

** Conf. Kant. Critic. rat. pract. p. 147-152.

infra citatis continentur, si priuati commodi
studium pro virtutis fonte habuisset?*

§. XXVII.

Summa virtutis lex generalis haec est: Fac
vt quaecunque agas, cum rationis praecipis,
quae Tibi post diligentem veri rectique explora-
tionem sancta esse videntur, conspirent. — Aliis
etiam verbis idem fere significari possit: ita sem-
per agas, vt melius agere Te non potuisse, Tibi,
post accuratissimam officiorum inuestigationem,
persuasum sit.

§. XXVIII.

Quando autem ita se habeant actiones hu-
manae, vt meliores esse nequeant, plures quidem
philosophi et olim scrutati sunt,** et nunc scruta-
tantur. Digna etiam profecto est res indefesso
studio, summaque diligentia. — — Quomodo
enim, nisi hoc perfectum sit, in rebus dubiis,
vbi honestum videtur cum honesto pugnare, de-
liberationis finem, in quo adquiescas, reperire
poteris? Quam formulam, normae instar, se-
queris, vt intelligas quid sit rectum, non quid
videatur. Diuersae sunt haec de re philosopho-
rum sententiae.*** Nam alii naturae con-
uenien-

* 1 Ioh. II, 15. II, 5. V, 3. Ioh. XIV, 23. cf. Eph. II, 10.
Hebr. XII, 14. 1 Petr. I, 15. 16.

** Huc pertinebant omnes veterum de fine bonorum dispu-
tationes. Vid. Garve Adnotatt. in Cic. p. 10. 11. sqq.

*** Eadem fere est honesti et iusti, quae pulchritudinis, ratio.
Sicut enim id, quod pulchrum est, facilius in singulis
arti-

uenienter viuendum esse censent, alii praecipunt, vt ad Dei voluntatem mores conformemus, alii suadent vt perfectiores nos reddere studeamus, alii felicitatem semper quaerendam esse opinantur. Nec defuere, qui salutem ciuitatis, in qua quisque viuat, augendo bonam de se ciuium existimationem mereri pro summo sanctissimoque haberent,* non reputantes, ante initam cum aliis societatem, et ab iis etiam, qui in desertis viuant, officia esse seruanda, et vel iniustis factis vnus atque alterius ciuitatis salutem augeri posse.** Qua tanta decretorum diuersitate, et variis singulorum hominum de honesto iudiciis eo perductum esse puto nobilem quondam philosophum (Montagnium cf. Eiusd: Versuche L. II. C. 12. et Schmid l. c.), vt certam honestatis legem, quae quid omnino rectum et laudabile sit praeciperet, reperiri posse negaret. — Nostris temporibus pleraeque harum sententiarum explosae sunt. — Plurimi enim adfenserunt Kantio, qui hunc fere in modum praecipit:

"Eam

artificiis sentiri, quam omnino definiri potest: ita in singulis factis, vtrum honesta sint nec ne, facilius intelligi, quam quid omnino seu generatim honestum sit, definiri poterit.

- Mandeuillius in: the Fable of Bees, on priuate vices, publick benefits Lond. 1724. 2 Voll.
- Qui singulas penitius cognoscere, earumque rationes ponderare studet, vid. C. C. E. Schmidii Versuch einer Moralphilosophie. Jen. 1790. ed. 1mae p. 29. sqq. Cf. Resultate der philosophirenden Vernunft über die Natur der Sittlichkeit, zusammengestellt von G. Dreves T. I. 1792. Kiefewetter über den ersten Grundsatz der Moralphilosophie.

"Eam sequere in agendo normam (Maxime), quam legis instar ab omnibus sanctissime coli cupere possis. *

Eiusmodi formulae nihil praeter consilium (Maxime), quod sequi debeamus, ut vere honesta vocari queant facta propter fontem, e quo velut deriuentur, exponunt, non autem quid faciendum sit, quid agere debeamus in omni vitae conditione et loco. Nam si tum demum perfecta vocari posset disciplina morum, quum singula facta, pro diuersa temporum et rerum externarum conditione cuique facienda, enumerarentur; nunquam posset absolui. ** Philosophia hoc tantum praestare poterit, ut legem, quam seruantes a recto nunquam aberrare possimus, nobis proponat. Quid autem secundum hanc legem faciendum sit, non sola ratione, sed ex rerum inuitu et diligenti locorum ac temporum consideratione intelligitur.

Iam si formulae istae (secundum rationes a Schmidio C. prolatas) inter se comparantur, patebit Wolfianam Kantianamque praefereudas esse reliquis; utramque autem ineuitabili vitio laborare. Negari enim nequit, eius hominis, qui perfectum se reddere studeat, consilium aequè honestum esse, ac eorum qui normas in agendo sequuntur, quas obseruari cupere possint ab omnibus,

* Multifariam, et pluribus vna formulis hanc rationis legem explicare studuit Vir illustr. in Fundam. Met. mor., cui libro haec potissimum quaestio propofita erat.

** Nam diuersae sunt et hac de re mortalium opiniones.

bus, qui in eodem vitae statu rationi velint obtemperare. Sed nec Wolfiana definit vagam lateque patentem perfectionis notionem, nec Kantiana docet, quando velle possimus, vt nostram agendi rationem omnes tanquam legem obseruent. Verendum igitur est, ne multi temere sibi persuadeant, suarum actionum normam legis sanctitatem habere posse, quorum tamen consilium a sapientioribus non probaretur. Sic perfectionis notio pro seculorum varietate, gentium indole et ingeniorum cultura, diuersa semper fuit.* Quod quamuis nec deminuat probitatis laudem eorum, qui perfectioni student, nec crimini dari possit iis, qui ad Kantianam legem actiones conformant, cum ipsa recte agendi voluntas, non factum, quod cadit sub sensus, honestum efficiat: odiosum tamen est, non eo perducı posse morum philosophiam, vt generalis aliqua lex reperiatur, quae omnem tollat opinionum de honestate diuersitatem. Nam quando honestum sit agentis consilium** probe intelligimus, latet autem, quomodo *litē diiudicare* queamus, si repugnant hominum de singulorum factorum honestate iudicia.

Regiomontanus quidem alia formula definitur studuit, quando legis sanctitatem habitura sit cuius-

* Iudaei, Romani et complures aliae gentes vnanimi quidem consensu voluntatem, siue consilium faciendi ea, quae sibi recta videbantur, probauerunt, sed facta quaedam habuerunt pro honestis, quae nobis turpia videntur.

** Wann subjectiue Moralität in den Handlungen der Menschen anzutreffen sey.

culusque agendi ratio. Tum nempe putat recte agi, quum humanitatis indolem propriam (h. e. rationem) non negligamus, sed sanctissime semper colamus.* Quid autem sit negligere, quid colere humanitatem, nec satis definitum est, nec ita poterit defini, ut omnes in eo gentes consentiant. — Omnis ergo hac de re disputatio eo redit, ut suprema lex sit huiusmodi: Semper ita instituas vitam, ut pro Tuis de honestate notionibus, post diligentissimam recti explorationem, melius agere nequiveris. Quae formula, verbis tantum, non sensu differt a Kantiana. — Rectior autem est, quam eorum, qui Dei iussa peragenda esse praecipunt, tum alias ob causas (i. e. adlegatas), tum propterea quod ratione sola, utrum Deus sit, et quae praecepta Deo sapientissimo digna sint, diiudicari potest.

Quaestiones:

Quatenus verae sunt Tullii sententiae, qui omnem virtutis laudem in actione consistere affirmat,** cum alio tamen loco dicat: Id ipsum ita iustum esse, quod recte fiat, si sit voluntarium?*** —

Quatenus imperfecta necessario manebit omnis morum doctrina? —

Num

* Handle so, daß du die vernünftige Natur jederzeit zugleich als Zweck, niemals bloß als Mittel betrachtest. Liceat mihi hanc formulam, quae ad verbum translata valde obscura foret, aliis verbis significare.

** Vid. L. I. C. VI. §. 6.

*** L. I. Cap. VIII. §. 4. in fin.

Num probaretur eorum excusatio, qui propterea, quod nondum perfecta forsan sit sua de hominum officiis cognitio, obedire nollent morum praeceptis?

Quando culpam in se admittere coepit homo?

An et quatenus culpa in factis cerni poterit?

Num culpa * unquam potest excusari?

Quaenam actiones licitae dicentur? **

Num sufficit non fecisse illicita?

An omnino honestum pugnare potest cum honesto? Quando videntur officia sibi iniucem repugnare? (cf. Kant. l. infra cit. pag. XXIII. et XXIV.)

Quis est hominum et eorum omnino, qui ratione praediti sunt, legislator?

§. XXIX.

Quaedam officia falso a nonnullis vocantur perfecta, ea nempe, ad quae praestanda legibus in ciuitate sancitis et iudicum imperio cogimur. Pacta seruare, aes alienum soluere, reddere depositum, erepta ciuibus bona compensare, legibus iubemur non rationis solum, sed etiam ciuitatis. Haec et his similia perfectis officiis adnumerare solent. Verum vt aliis lubenti animo beneficiamus, vt excolamus ingenii vires, vt

COR-

* Hae voci alium sensum subiciunt iuris periti, qui dolum distinguunt a culpa. Cf. Kant. Introd. in Metaph. iur. p. XXIII.

** cf. Kant. Metaph. principia doctrinae iuris p. XXI. introd.

corporis sanitati consulamus, liberos summa cum diligentia curaue educemus, nemo ciuium nos inebit, nec vt inuiti haec omnia non faciamus vlla vi externa efficietur.

Isthaec igitur officia vocarunt imperfecta. Cur autem inepta videtur huiusmodi distinctio? Rectius forsan est externorum et internorum diuisio. *

§. XXX.

Ad legislationem omnino requiritur: primum vt aliquid, quod necessario fieri debeat, promulgetur; deinde vt simul cum ipsa legis repraesentatione animus eius, cui lata fit, momento quodam impelli possit ad obedientiam.

§. XXXI.

Haec autem momenta, siue causae, quibus ad leges obseruandas impellimur, quamuis praescripta sint eadem, valde differre possunt. Nam vel poenas timemus, vel speramus praemia, vel interna et absoluta quadam factorum honestate commouemur. **

§. XXXII.

Iam intelligitur morum doctrinam, siue legum moralium lationem a iuris scientia longe diuer-

* Vid. Kant. *Introduct. in Metaph. iur.* p. XV-XVIII.

** Vid. Cic. *de offic. L. I. Cap. V.* Forma inquit, et tanquam facies honesti, si oculis cerneretur, mirabiles amores, vt ait Plato, excitaret sapientiae. Cf. *L. II. de finib. Cap. 16.*

uerfam esse, non factorum, quae praecipiantur, sed momentorum, quibus quaeque impellat, discrimine. Nam legislatores, quum ciuibus praescribunt, quid faciendum omittendumque sit, ne sancta humanitatis iura, vel naturalia, vel parta laedantur, non respiciunt ad voluntatem siue consilium agentis, et risum sane mouerent, si probitatem illius suis legibus vellent iubere, quoniam, quando lex violata esset, nunquam certo intelligeretur, nec vlla vi externa effici posset, quod sponte fieri debet. His igitur sufficit ea praestari, quae legibus constitutis conueniunt, qualiscunque sit actionum causa, in morum autem disciplina maximi est momenti consilium illud, in quo omnis cernitur interna factorum honestas.

Itaque propter diuersum hunc obligandi modum recte distinguitur Ius naturae a philosophia morali.* —

§. XXXIII.

Legales vocantur actiones legibus quacunque ex causa conformes; honestarum contra nomen eae tantum merentur, quas officii sanctitate commoti peragimus, etiamsi nullum nobis commodum sperandum, nec, omisso facto, quidquam damni metuendum esset. **

§. XXXIV.

* Quid sit iustum, et quatenus iuris statuti scientia, eiusdemque prudentia differant a iuris naturae cognitione praecipue Ethices docet Kant. l. c. p. XXXI. sq.

** Vid. Kant. in libro citato p. XV. cf. Metaph. mor. Fundam. praefat. Crit. rat. pract.

§. XXXVI.

Disciplinam morum, quae praeter facta in iure naturali praescripta fontem quoque purissimum commonstret, e quo velut deriuentur, latius quam illud patere perspicuum erit. Vt pacta seruemus, aliorum bona tueamur, depositum redamus, non iuris tantum, sed et morum doctores praecipiant; hi vero simul docent, isthaec esse facienda, etiamsi leges in ciuitatibus constitutae tollerentur e medio, neque poenas iudices minitarentur.

Quaestiones:

1) Quando legibus statutis, si non omnibus, plurimis certe, superfedere possemus?

Cur autem nunquam erunt superuacanae?

Num honesti an iusti viri nomen splendidius est? *

An legibus in ciuitate latis mores hominum ad honestatem conformabuntur? **

Nonne aliquo modo leges istae morum emendationem adiuuabunt?

§. XXXV.

* Num igitur audiendus erit Cicero, qui in iustitia maximum Virtutis splendorem esse, et ex ea viros bonos adpellari contendit? L. I. Cap. VII. §. I.

** Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor. Horat. Carm. II, 2.

Quae hoc in loco de auaritia dicuntur, valent in omne vitium.

§. XXXV.

Veteres morum doctores eo nondum perue-
nerant philosophando, vt distinguerent inter Ethic-
cen et iuris scientiam. Quo fit, vt Tullius sae-
pissime confundat liberalitatis ac beneficentiae
munera cum iustitiae officiis.* Nec etiam quid
sit iustum omnino satis perspicue docet; cau-
sas vero, quibus adducantur plerique, vt aliorum
iura laedant, rectissime explorauit. (vid. L. I. C.
VII. §. 9. et Cap. VIII. etc.)

Quaeritur:

vtum idem recte dicat, iustitiae primum munus
esse, vt ne cui quis noceat, nisi laceffit in-
iuria? (l. c.)

§. XXXVI.

Ad honestatem non sufficit, vt humanitatis
finibus non repugnetur; sed requiritur etiam, vt
consequi studeamus eosdem. Alterum iustorum
est, (non impedire hominum fines, modo sint per
aliorum iura liciti;) alterum bonorum.

§. XXXVII.

Vt fines mihi praefigam, a nemine cogi pos-
sum, idque patet ex finium definitione praemissa;
verum vt alios non impediam, quo minus suos
obtineant fines, dummodo libertati meae non re-
pugnent, iure prohibeor.**

§. XXXVIII.

* Cf. Garv. Adnott. pag. 89-92. Vid. Cic. Lib. I. Cap. VII.

§. 1. 2.

** Conf. Kant. doctrina virtutis; introd. p. 4. 5.

§. XXXVIII.

Est itaque Ethica doctrina finium, quos, non coacti ab aliis obtinemus, sed rationis imperio sponte parentes debemus consequi studere. — Quatenus hac facultate sumus praediti, ut nobis ipsi imperemus nostrique ipsorum sumus iudices, eatenus practica gaudemus ratione.

§. XXXIX.

Quicumque ad officium aliquod praestandum obligatus est, ei competit ius obeundi officii. * Non autem aliis hominibus propterea conceditur, ut vel adigant eum ad quaeuis munia honestatis, vel puniant peccantem.

§. XL.

Omnes, quae a ratione proficiuntur, actiones ab ipso facti auctore ad finem aliquem referantur necesse est. Fines sunt vel proximi, vel remotiores, vel ultimi. (Exemplis hoc illustretur.) Iam pro lubitu quidem quisque homo potest sibi statuere finem (alias enim nec libertate nec ratione ** gauderet); non autem licet in eligendo illo suam temere lubidinem sequi. Nam si liceret, omnis tolleretur officiorum doctrina, propterea, quod cum officii notione coniuncta est neces-

* Vid. Kant. lib. cit. p. 8.

** "Eine Vernunft, die in Ansehung ihres Willens anderswoher ihre Richtung erhielte, ist gar nicht denkbar." Kant. Exponatur hic actionum ab effectibus (quales sunt machinarum) differentia.

necessitatis rei faciendae et sanctitatis eiusdem repraesentatio. Itaque vel omnem tollimus officiorum doctrinam, vel concedamus oportet, singulas hominum actiones ad vltimum aliquem, et per se sanctum, finem referri debere.*

§. XLI.

Si quae res per se sancta est, vt nulli fit posthabenda, nec violari debeat qualemcunque ob causam, cur habeat sanctitatem, argumentis probari nequit. Nonne enim, si posset probari, ex alia re grauiori penderet eius dignitas?

§. XLII.

Igitur demonstrari quidem poterit, quo consilio** ad officium praestandum duci debeant, qui verae honestati velint studere; nunquam autem, cur aliquis finis absolute sanctus sit, et cuius propositus esse debeat, rationibus euinctur. Et si quis pertinaciter negaret, se obstrictum esse ad beneficentiae munera, si vires ingenii sui colendas esse concedere nollet, pudorem forsan excitaret in eo, qui brutorum similiorem eum esse diceret quam hominum, et neque culturam singulorum neque vniuersam omnium salutem effici posse probaret, vbi ista honestatis munia negligenterur:

Cur

* Vid. Kant. doctr. virt. pag. 12.

** Triebfeder.

Cur autem suae perfectioni et aliorum commodis studere debeat, nullo modo perspicuum redderet.*

CAP. II.

DE HOMINVM FINIBVS, QVOS CONSEQVI STVDENTO.

§. XLIII.

Hominum facta vel ad auctores ipsos factorum, vel ad alios referuntur.

§. XLIV.

Eorum autem alia sunt eiusmodi, vt contraria facere ne velle quidem possimus; alia, quamuis honesta, repugnant interdum libidini. — Haec tantum officiis adnumerantur, non illa.** Fieri autem nequit, vt animantes sentiendi intelligendique facultate praediti non cupiant esse felices. Nam cum ipso sensuum adpetitu coniunctum esse cogitamus explendae cupiditatis desiderium. Quod si ea felicitas, ad quam comparandam obstringeremur, non esset felicitas, et officii notio libidinum ac rationis repugnantiam

* Cur facilius est mathematicis et logicae doctoribus suarum propositionum veritatem demonstrare?

** Conf. Kant. I. c. p. 13. "Was ein jeder unvermeidlich schon von selbst will, das gehört nicht unter den Begriff von Pflicht; denn diese ist eine Nöthigung zu einem ungerne genommenen Zweck."

complectitur, patet, hunc naturae finem non iis adnumerandum esse, quos vel inuiti obtinere debemus.

Verum quoniam aliorum saluti nostra nonnunquam est postponenda, ipsaque humanarum virium cultura et perfectio laboribus ac voluptatum detrimento constat: duplex mortalium finis rectissime ita describitur, ut se ipsi reddant perfecti, aliorum vero felicitatem, et, quantum fieri potest, emendationem curent.*

Quaeritur:

Quatenus virium cultura in hominum sit potestate;

Num postuletur, ut omnes iisdem ad ingenia colenda rationibus utantur;

Utrum praecipi possit, ut in artibus et literis omnes ad eundem velut culturae gradum perueniant.

§. XLV.

Quamuis autem vniuersum hominum genus duplicem hunc finem adsequi summa cum virium contentione studeret, et vno mentis consilio adagendum omnes impellerentur: tamen propter diuersam de perfectione et felicitate persuasivem,

* Rectissime quidem Kant. in libr. cit. p. 14. adserit, a nobis postulari nequire, ut alios reddamus perfectos (cum virtus, in qua consistat perfecta humanitas, a cuiusque libera voluntate proficiscatur): tamen ad officia beneficentiae pertinet, a vitiis erroribusque moralibus alios dictis factisque reuocare. cf. lib. cit. p. 27, not. 6.

nem,* non eadem singuli via tenderent ad scopum, nec iisdem factis bonum consilium exsequerentur. Ad quem finem actiones referri, et quo consilio duci debeant homines, recte praecipitur: non autem his iniungi potest, vt non declinent ab eo tramite, qui nobis rectissimus esse videtur. Quis enim sanus me iubebit, vt idem, quod ipsi placeat, mihi etiam optimum videatur? Nonne tam diuersae sunt humanae vitae conditiones, vt, quod vnius officium sit, ab alio nequeat postulari? Haec autem factorum, ad eundem finem eodem consilio relatorum, differentia nec praeccepti illius generalis veritatem tollit, nec deminuit honestatem eorum, qui suo quisque modo felices alios, se perfectos reddere student.**

§. XLVI.

Felicitatem sibi quam maximam et longissimam comparare licet, dummodo nec aliorum iura, nec honestatis praecepta negligantur, idque felici-

* "Was andere zu ihrer Glückseligkeit zählen mögen, bleibt ihnen selbst zu beurtheilen überlassen; nur daß mir auch zustehet, manches zu weigern, was sie dazu rechnen, was ich aber nicht dafür halte, wenn sie sonst kein Recht haben, es als das Ihrige von mir zu fordern." Kant. in lib. cit. p. 17.

** Acute Kantius l. c. p. 24. "Wie weit man in Bearbeitung seines Verstandesmögens gehen solle, schreibt die Vernunftprincip bestimmt vor; auch macht die Verschiedenheit der Lagen, worin Menschen kommen können, die Wahl der Art der Beschäftigung, dazu er sein Talent anbauen soll, sehr willkürlich. Es ist also kein Gesetz der Vernunft für die Handlungen, sondern bloß für die Maxime der Handlungen." etc.

felicitatis desiderium tam alte insitum est animantibus ratione praeditis, ut tertium aliquod officiorum genus ab eo duci nequeat. Quum dolor, egestas, aduersaeque fortunae ictus magnam vim habeant in hominum animos, eosque reuocare possint ab honesto, indirecte videtur quidem et hoc esse officii, ut mala ista propulsemus. Si autem res accuratius examinatur, non bonorum, quae occupare studemus, possessio, sed morum honestas finis est, ad quem obtinendum obligamur. Vid. Kant. l. c. p. 17.

§. XLVII.

Qui id studet, ut perfectus euadat homo

- 1) excolere debet ingenii vires, rationem potissimum, qua fit, ut sibi ipse fines praefigere possit, errores autem, praeiudicatasque opiniones corrigere atque extirpare; *
- 2) Voluntatem ad adfectuum cupiditatumque imperio magis in dies liberare, ut quod rationis leges fieri iubent, omnibus libidinum irritamentis ac velut lenociniis praeferrat. —

Nec etiam corporis vires, sine quibus fines a ratione praescripti nunquam obtineri possunt, negligere debemus, sed

α) quo

* "Nam et ratione uti atque oratione prudenter, et agere quod agas considerate, omnique in re, quid sit veri, videre et tueri decet; contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare et mente esse captum." Cic. L. I. de off. Cap. XXVII. §. V.

α) quo diutius in hoc terrarum orbe fungamur officiis;

β) quo minorem ciuibus nostris propter valetudinis imbellicitatem molestiam faciamus: exercendum corroborandumque est corpus. Quatenus autem progredi debeat, et qua ratione instituenda sit corporis exercitatio, pro singulari cuiusque conditione, virium modulo, vitaeque genere iudicandum erit.

§. XLVIII.

Qui aliorum hominum salutem non aliter ac suam ipfius curat, eum vere dicimus alios amare. * Nec dubium est, quin ita Christus intelligi velit, quum aliorum amorem officiis adnumerat. Vt enim alios amore complectar (sive vt placeant mihi reliqui mortales) iuberi nequeo, quum non meum fit, sed illorum placere. Recte autem mihi iniungitur, vt eos, cum homines sint, sive vt humanitatem iis innatam, nullo pretio compenlandam, iusta existimatione prosequar, et salutem eorum quanto maximo studio curem. Distinguiamus igitur inter amorem ** hominum, et caritatem humanitatis. *** Ille singulos tantum, haec omnes complectitur; ille fluxus est, cum a sensu, non a ratione profiscatur; haec constans et

* 1 Cor. XIII, 1-3. 1 Ioh. III, 16. Matth. VII, 12. Sir. XXXI, 18. Rom. XIII, 8-10. Matth. XXII, 39.

** Physische Liebe, pathologische Zuneigung.

*** Praktische Liebe, Menschenliebe. Vid. Kant. I, c. p. 40. 41.

et sempiterna; alter iniustus interdum fit, eoque nos ducit, ut in paucorum gratiam humanitatis iura violemus; altera iusta semper et a partium studio aliena est.

§. XLIX.

Ad alterum hunc finem (felicitatem humani generis) pertinet:

- 1) ut vitae necessitatibus, iis praesertim, quibus illi ipsi satisfacere nequeunt, prospiciamus, et in miseris rebus eos adiuuemus consolatione, consiliis factisque, in laetis vero felicitatem eorum non deminuemus invidia et inhumanitate, sed augere tuerique studeamus,
- 2) Praeterea, quum animus virtutis sibi conscius tranquillus et securus esse soleat, animi autem tranquillitas conditio fit, sine qua non possumus esse felices: * ut omnes vitiorum et corruptelarum illecebras, quibus alii possent irretiri, sedulo remoueamus, ** praestantissimam eorum indolem, vbicunque licet, excolamus, et nostrae vitae cursum tam

* Id. pro Milone: Magna, inquit, vis est conscientiae, et magna in vtramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint; et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. C. 22. Conf. Senec. Epist. 97. et praestantissimos Salustii locos in Bello Catil. Cap. 15. et Iugurth. Cap. 72. Taciti Annal. Lib. VI. Cap. 6. Meminerint lectores Dionysii maioris Cic. Tuscul. I. 20. 21. Cf. Acta Apost. XXIV, 25.

** Vid. Kant. p. 27. in lib. cit. Cf. Matth. XVIII, 6. 7. 1 Theff. V, 11. 2 Cor. VI, 3.

tam bene prudenterque dirigamus, ut illi neque exemplo nostro ab honestatis via seducantur, neque offendantur dictorum nostrorum turpitudine. Quamvis enim homo, ne seduci se patiatur, ipse cauere debet, atque inanis est eorum excusatio, qui ab aliis se corruptos esse queruntur: ** tamen tanta est humanae naturae fragilitas, ut exempla et consuetudinem aliorum libenter sequamur, tantaque perversitas, ut in eorum vitam, veluti in speculum, inspicientes, quid faciendum sit, cognoscere putemus.

CAP. III.

DE PIETATE ERGA DEVM, VIRTUTIS ADIVTRICE.

§. L.

Hactenus de honestatis officii in genere; quorum distributionem generalem in officia nobis ipsis et aliis debita nemo facile reprehendet. Quod enim ad pietatem reuerentiamque erga summum vniuersi gubernatorem adinet, ea non
exter-

* Nihil enim, inquit Seneca, magis praestandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundem est, sed qua itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod non ad rationem, sed ad similitudinem viuimus; etc. — Quaeramus, quid optime factum sit; non quid vtilissimum. Vid. de beat. C. I. 2. cf. Diog. Laërt. in Antisth. Segm. 18.

externo cultu, caerimoniisque administrandis, non frequentatione templorum, non cantando orandoque, non genuum flexione, non manibus sublatis, erectoque ad sidera vultu, sed strenuo virtutis cultu, recte ac honeste sentiendo agendoque significatur.* Iam si vera pietas in eo cer- nitur, vt officiis cum animi constantia et fide fun- gamur, quod ipse Christus, diuinum virtutis ex- emplum, factis praeceptisque docuit; si nullo alio modo nec gratus in Deum animus, nec reliqui pietatis sensus exferri possunt: sequitur, omnem hominis vitam, ad rationis praecepta conforma- tam, perpetuum et sincerissimum esse Dei cultum.** Qui autem dicunt in eo consistere pietatem, vt propterea, quod Deus ita fieri iubeat, praeste- mus officia, vehementer falluntur. Nam quum cogitari nequeat, sapientissimum vniuersi recto- rem,

* Von Sünden lassen, das ist ein Gottesdienst, der dem Herrn etc. Sir. XXXV, 5, cf. Iac. I, 27. et Ioh. V, 3.

"Αὐτὴ γὰρ ἐστὶν ἡ ἀγαπὴ τοῦ Θεοῦ ἵνα τὰς ἐντολάς αὐτοῦ τηροῦμεν." Nicht alle die zu mir sagen Herr, Herr, werden ins Himmelreich kommen, sondern die den Willen meines Vaters im Himmel thun.
 "Cultus Deorum est optimus, idemque castissimus, at- que sanctissimus, plenissimusque pietatis, vt eos sem- per pura, integra, incorrupta et mente et voce vene- remur." Cic. de Nat. D. II, 28. Ioh. IV, 24. Iac. I, 22. "Optime honorat Deum ille, qui mentem suam, quantum fieri potest, similem Deo facit." Sext. sent. 396.

** Pluribus argumentis Kantius in l. e. sine p. 179. sqq. ex- plicare studuit, cur omnis doctrina de officiis erga Deum nequeat locum habere in philosophia morali. Car au- tem subtilibus istis rationibus sententiam meam non con- firmauerim, patebit legentibus ex fine libri.

rem, qualem Deum esse credimus, iubere, vt ratione, cuius participes ipse nos reddidit, non vtamur, haec autem ratio nihil faciendum esse doceat, nisi quod nobismet ipsis rectum videatur, nec vllam actionem, quam vel temere obediētes alius imperio, vel feruili poenarum metu terri, vel denique praemiis allecti suscipiamus, probare possit: falsam esse istam opinionem liquet. Nec etiam propterea, quod Deus aliquid fieri iubet, factum rationi consentaneum est, sed hoc tantum, quod cum rationis legibus conspirat, Deo poterit dignum videri, cuius ne notionem quidem haberemus, si erepta nobis esset ista cogitandi facultas. At quae vulgo vocantur officia Deo praestanda, qualia sunt: amor, adoratio, reuerentia, fiducia Dei etc. parum apto nomine significantur. Sunt quidem officia haec sanctissima, sed nobis ipsis ea potius, quam summo perfectissimoque Deo praestantur. Nam officium, quod alicui praestandum esse dicimus, eo spectat, vt non modo finibus ipsi propositis non repugnemus, sed adiuuemus etiam eum, quo facilius consequatur eosdem. — Quos autem mundi gubernator sibi praefixit fines, ii, cum omnia sint in potestate ipsius, sine mortalium adiumento obtinentur. Quoniam vero nostrum est, omnibus, quae ad studium honestatis excitandum profunt, adminiculis fideliter vti; recte praecipitur:

a) vt cogitemus, Deum benignum aequae ac iustum vbique praesentem intima perspicere animi nostri consilia; deinde

b) huic

b) hunc Deum, quod recte ait Plinius * "non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate laetari; ** — neminemque gratum ei fore, nisi qui sine gratificandi studio, sine poenarum metu, quod rectissimum sibi visum est, exsequatur. —

Quatenus Dei praesentis reuerentia, et, quae cum eadem coniuncta esse debet, fiducia, professe poterit ad excitandum virtutis studium et animi tranquillitatem? *** Cf. Xenoph. memorab. L. IV. Cap. IV. §. 25.

c) vt in suscipiendis rebus grauioribus, ii sique iustis, opem diuinam imploremus, in aduersa autem fortuna, adhibitis diligenter nostris ipsorum viribus, a summo Numine petamus auxilium.

§. LI.

Neesse autem non est, vt vel clara voce, vel multis sonantibusque verbis, † vel omnino verba facientes, vel denique statis diei temporibus preces fundamus. — Precari enim dicitur

* In Paneg. C. 3. cf. Xenoph. Memorab. L. I. C. III. §. 3. sq.

** Humano more locutum esse Plinium adparet.

*** Cf. Senec. apud Laet. L. VI. c. 24. "Nec lucrari, inquit, se quisquam p̄ter, si delicti conscius non habebit. Scit enim ille omnia, in cuius conspectu viuimus: nec si vniuersos homines celare possemus, Deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum." Ei. Epist. 83. Democrat. Sent. 79. Valer. Lib. VII. Cap. 2. memorabile est Thaletis responsum,

† Matth. VI, 7. 8.

citur, quicumque seruo, cum attentione motuque animi ad supremum vniuersi gubernatorem cogitationes conuertit, vt vel maiestatem* eius infinitamque bonitatem animo complectatur, vel grates referat pro beneficiis acceptis, vel opem diuinam imploret sibi ipsi aliisque necessariam. —

Cur leuitatis potius est quam pietatis, destinatis temporibus certum recitare numerum precationum? Vtrum rectius est, praescriptas ab aliis precandi formulas recitare, an suis ipsius verbis significare animi sententiam?

Quaenam sunt aptissima precando tempora?

Num sperare licet, fore vt Deus, precibus nostris motus, naturae leges immutet? Matth. XXVI, 39.

An itaque semper obtinebimus ea, quae concupiscebamus?

Si hoc sperare nefas est, quomodo precari debet, qui modestiam vult retinere?***

Quid omnino iuuat, Deum ea rogare, quae vel sine precibus nostris fierent, vel nunquam plane nobis conceduntur?

§. LII.

* Ps. XIX, 1. 1 Chron. XXX, 11. 10. Röm. XI, 33, 34.

** Laudabat Socrates has antiqui poetae preces: O Iupiter, ea quae bona sunt, nobis orantibus, aut non orantibus, tribue: quae vero mala, etiam orantibus ne concede. Plat. in Alcib. II, p. 454. D. cf. Iuu. Sat. X, 345. etc.

Mihi quidem et virtus ipsa valde adiuari,
et felicitas hominum augeri videtur precibus
piis. Nam

- 1) erigitur atque extollitur animus eorum, qui cum summo totius mundi conditore ac moderatore velut colloquantur. * Deinde
- 2) quo saepius cogitamus, esse Deum, rebus nostris atque necessitatibus benigne prospicientem, eo securiores erimus in aduersa fortuna; ** in secunda vero modestiores. *** Et
- 3) quoniam cum ipsa Dei notione coniuncta est, vel esse debet, earum legum, quas nobis sanctas esse voluit, reuerentia, † fieri nequit, vt, qui vero pietatis sensu adfecti precantur, immemores sint officiorum. ††
- 4) Voluptatis etiam libido extinguitur, et animi leuioris cupiditates coërcentur, ††† dum cogitamus eum, qui nullis omnino perturbatur adfectibus; quia denique
- 5) tanto maiore cum alacritate animi, diligentia et adfuiditate perficimus negotia suscepta, quan-

* Pf. XCII, 2.

** Pf. LXVIII, 6.

*** Iac. I. XVII. 1 Chron. XXX, 11. 12. Iof. XLI, 10.

† Pf. V, 5. 1 Petr. I, 15. Xen. memor. IV, 3. §. 13. Bene notat leuitatem eorum, qui Deum adorant, homines adficiunt iniuria Iacob. III, 9. 10. Xenoph. l. c. Cap. IV. §. 18. 199.

†† Xenoph. Lib. I. Cap. V. §. 19.

††† Matth. XXVI, 41.

quanto impensius opem diuinam implorauimus, quantoque maiorem fouemus spem, fore vt nobis opituletur Numen supremum: hinc saepissime fit, vt, feliciter absolutis operibus, quae sine diligenti et strenua virium contentione perfici nequiuissent, Deum exaudisse preces nobis persuadeamus.*

Quaestiones:

Cur in honestis tantum rebus opem a Deo petere licet? **

Num fas est, a Numine diuino expectare opem in iis rebus, quae ipsi perficere possumus? ***

Num igitur recte praecipit Petrus, qui Ep. I. V. 7. Πασαν, inquit, την μεριμναν ὑμων ἐπιζηψαντες ἐπ' αὐτον etc.?

§. LIII.

Pro aliis etiam hominibus Deus inuocandus erit. Nam eiusmodi preces, quae pro ciuium salute ad patrem omnium mittuntur, fouent humani generis amorem et promptiores nos reddunt ad praestanda beneficentiae munera. †

§. LIV.

* Patebit ex hoc, quomodo intelligendum sit illud: Ἄιτετε και δοθησεται ὑμιν, ζητετε και ευρησεται, κρουστε και ανοιγησεται ὑμιν. Cf. Math. VII, 7. 1qq.

** I Ioh. V, 14. cf. Xenoph. Memorab. Socr. Lib. IV. Cap. III. §. 17. * γαρ παρ ἄλλων etc.

*** Των πονων πωλκαι ημιν παντα ταγαθ' ες θεοι. Hef. vid. Xenoph. L. II. c. I. §. 20.

† I Tim. II, 1-3.

§. LIV.

Denique quum gratus erga Deum animus officiorum immemor esse nequeat, recte praecipiant, qui pro beneficiis diuinis grates referendas esse docent.* Nam gratus hic animus et illa, de qua paullo ante diximus, reuerentia atque fiducia Dei nouum quasi fulcrum virtuti addere videntur.**

§. LV.

Quo cautius errorem et superstitionem euitamus in iis, quae statuimus de natura et voluntate diuina, eo facilius ab inani superstitionum metu securum retinebimus animum. Praeterea, quum superstitio sit vitiorum scelerumque fomes, et rationis lumen obscuret, adeo, vt vel turpissima facinora, vanae religionis specie decepti perpetrare non erubescant fanatici homines, idque officium suum esse sibi persuadeant:*** adparet, quanti

* Pf. CXXXVI, l. 8. 9. 25. CIV, l. 14. 15. 20. 22. 23. 27. 28. 1 loh. IV, 19. Iac. I, 17.

** Videntur enim isthaec praecepta, quae diuinorum instar coluntur, rationis solius vsu cognoscimus, quae, quid Deus pro sapientia sua possit a nobis postulare, et quid omnino sit sapientia diuina, intelligit, simulque docet, actiones vel pro mercede, vel metu suppliciorum susceptas honestarum nomine indignas esse.

*** Exponendum hic erit vberius, quam perniciosae olim fuerint peruersae Graecorum ac Romanorum de Diis opiniones, et quam crudelia facta commiserint omnium aenorum fanatici, qui vel sanguine et homicidio placari posse superos putarent (quos recte carpit Senec. Epist. CXV.

quanti ad virtutem momenti sit recta Dei cognitio. Haec autem non est officium Deo praestandum, quod vulgo dicunt, sed ad nostram ipsorum perfectionem pertinet. Sit igitur a) accurata b) certis et penitus intellectis rationibus nixa c) quantum fieri potest, perfecta, * vt d) efficax esse possit ad emendandos mores. **

Quaeritur:

1. Quando rectam esse nostram Dei cognitionem persuadere nobis possimus?

Qualis non debeat cogitari Deus, siquidem perfecta, nec vlli temporum vicissitudini subiecta est eius natura, facile intelligitur; qualis autem reuera sit, difficillimum est intellectu. Humanas enim virtutes, iustitiam, benignitatem, sapientiam, et quidquid omnino perfectum nobis videtur, similitudine quadam transferimus ad Deum. De his autem pro ingeniorum et temporum diuersitate diuersas fuisse mortalium sententias supra memorauimus. *** Quare quo diligentius quid per se honestum, et homine rationis particeps in omni vita dignum sit,

CXV. 1. Benef. C. 6. et apud Lactant. VI. C. 25.) vel omnes censerent extirpandos esse, qui non eodem, quo ipsi, modo colebant mundi rectorem.

* Col. I, 11.

** 1 Petr. I, 15.

*** Liceat mihi citanti dissertationem a me scriptam: Beitrag zur Kritik der Theologie im engeru Sinne. Vid. Henkii S. V. Neues Magazin für Religionsphilosophie. T. I.

fit, cognouimus, eo rectiorem habemus Dei cognitionem. *

II. Verane sit an falsa Ciceronis sententia, qui: "haud scio, inquit, an, pietate aduersus Deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et vna excellentissima virtus, iustitia, tollatur?— **

§. LVI.

Quae praeterea de amore, de submissiōe siue humilitate animi erga Deum, de metu eiusdem ac fiducia praecipunt veteres morum doctores, ea cur silentio hic transeam, nemo non intelliget. Quid enim amare Deum, quem oculis non videmus, secundum ipsorum et Christi sententiam, aliud est, quam honesta lubenti animo facere? ***

Quis porro sanus non videt, quam ridiculo fastu intumescant ii, qui Deum contemnere, † fibimet rerum feliciter gestarum laudem omnem tribuere, †† in aduersa autem fortuna Deum temere accusare, et quae ad cultum eiusdem sapienter instituta sunt, negligere audent?

§. LVII.

* I Ioh. II, 4. ὁ λεγων ἐγνωκα αὐτον, και τας ἐντολας αὐτης μη τηρων, ψευσης ἐστι etc. cf. I Petr. I, 16.

** L. J. de Nat. Deor. c. 2.

*** ὅς θαν τηρη αὐτον τον λογον, ἀληθως ἐν τωτω ἡ ἀγαπη τη θεου τετελειωται. I Ioh. II, 5. Eccl. XII, 13. 14. Tob. IV, 6. I Ioh. IV, 20. Plato in Theaetet. p. 129.

† Pf. X, 4. Tac. IV, 13-16.

†† Sen. Epist. XLI.

§. LVII.

Qui sanctissimo Dei nomine diuinarumque rerum inuocatione, vel in aliorum fraudem, vel ad magicas vanitates, vel ad significandam adfectuum vehementiam abutitur, summam prodit leuitatem, et animum fere dissolutum.

§. LVIII.

Pietatem internam non factis solum honestis, quae verissima sunt eius indicia, sed institutis etiam caerimoniis, sacrisque ritibus, significare studuerunt mortales. Hunc Dei cultum vocant externum, isque comprehendit omnes actiones eum ad finem susceptas, vt et pietatis sensum in nobis ipsis excitemus, et aliis nostram erga Deum reuerentiam declaremus. Est autem vel publicus, vel priuatus siue domesticus. Publica ac solemnia sacra institui solent sub ciuitatis et legum tutela statis diebus, locis Deo consecratis, in frequenti ciuium concione; priuata vel ab vno vel a pluribus, siue domestica societate, siue familiaritatis vinculo coniunctis, peraguntur.

§. LIX.

Dies isti sacris faciendis pro lubitu a ciuibus destinari possunt. • Rectissime tamen constituuntur ii, quibus vel memorabile aliquod pro salute hominum facinus susceptum est, vel aliquid omnino euenit, cuius memoriam reuocare multorum interest. —

§. LX,

• Col. II, 16.

§. LX.

Ritus externi vacare debent superstitione, nimio sumtu et splendore, quo distrahitur animus, at vero etiam squalore et foeditate. Casti, pudici, ad significandam Dei reuerentiam apti, honestique sunt.*

§. LXI.

Quo magis ad significandam pietatem et excitandum honestatis studium apti sunt ritus, eo sanctius coluntur. Minoris faciendi sunt ii, qui olent superstitionem, et haud scio an sapientis sit eos negligere, quo facilius ab iis desuefaciat plebem.

§. LXII.

Christianorum ritus, plerique certe, cum vera pietate coniunctiores sunt, quam plurimi olim veterum gentium. Nam in frequenti et fedata ciuium concione de rebus ad religionem pertinentibus meditari; preces fundere tanquam ad communem totius familiae patrem; et stipem pauperibus dando beneficentiae muneribus fungi, magis pertinet ad summi Dei cultum, quam immolare bestias, et tympanorum strepitu, tiliarum clangore, turbaeque vagantis acclamationibus auras implere.* Magnam certe potest vim habere

* Probanda est in hoc genere lex Romanorum, cuius mentionem facit Tullius de leg. II. C. 8. 10. "Ad diuos adeunto caste, pietatem adhibendo, opes amouendo."

** "Colitur Deus, inquit Seneca, non taurorum optimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec

bere ad emendandos mores et augendam velut fraternam charitatem, qua complecti alios debemus.

§. LXIII.

Quamuis igitur sine hoc virtutis adminiculo honeste vivere possimus, * tamen, vt pietatis sensum, qui in aduersis rebus animum reddit tranquillum, in secundis hilariorem, augeamus, officiorumque scientiam perfectiorem comparemus, et, quod maxime obseruandum est, vt minus eruditos ad templorum frequentationem exemplo nostro adhortemur, minime negligendus est cultus ille externus. ** Saepissime igitur frequentabit vir probus templa Christianorum, in quibus, quid sit faciendum docetur, animusque ad virtutem et amorem eorum, qui vna sunt, excitatur; tum vero omnes cogitationes intendet in congregationis primarium finem; strepitum et confabulationes cum proxime sedentibus euitabit, leuitatem animi non prodet ridendo, iocando, circumspiciendo. Est enim ecclesia, vel esse debet, societas quaedam moralis eorum, qui ad virtutis cultum se inuicem exhortantur. Nemo autem sibi persuadeat, ritus istos sine virtute et consiliorum factorumque honestate quidquam habere pretii. *** Quum enim vel turpissimos homines

nec in thesauros sipe insula, sed pia et recta voluntate." Epist. 115. Id. Benef. 1, 6. 1 Sam. XV, 22.

* Nam quod ait Seneca Epist. XLI: "Bonus vir sine Deo nemo est. ex parte tantum habet veritatem.

** Col. III, 16. Hebr. X, 25.

*** Iac. I, 22. Sir. XXXV, 5. Praeclare etiam Seneca Ep. XCV. "Vis, inquit, Deos propitiare? Bonus estis fati illos coluit, quisquis (eos) imitatus est."

nes non frequenter solum, sed cum omni deuotionis decore in templis adesse videamus, qui cantilenis et pietatis gestu emendare se posse putent peccata, et nouam impetrare veniam peccandi: recte colligitur, veram pietatem in illis caerimoniis obeundis neququam cerni, et quaeuis munia, ad cultum externum pertinentia, per se (sine respectu ad finem altiorem) nullius omnino facienda esse.

Quaestiones:

Ex praemissis facili negotio iudicari poterit:

- 1) vtrum diebus festis nefas sit laborare;
- 2) vtrum recte praecipiant, qui ea tantum facta, quae differri nequeant, et quibus aliorum necessitatibus prospiciatur; * licita esse docent;
- 3) vtrum necesse sit, vt vel certis anni temporibus, vel statis diebus, vel aegrotantes, sacra, quam vocant, coena fruamur: si piorum hominum nomen velimus mereri; **
- 4) vtrum denique probitatis laudem, aequae ac Christiani, mereri potuerint priscae gentes, quas paganorum nomine notant; quamuis illae et plures coluerint deos, et longe diuersis a nostro more ritibus.

§. LXIV.

* Werke der Noth und der Liebe.

** Memorabile est Pauli dictum Col. II, 16. Μη τις εμας κοινοτω εν βρωσει η εν ποσει, η εν μερει εορτης etc. —
Α επι οικια των μελλοντων, το δε σωμα του Χριστου.

§. LXIV.

Si veritatem quisque, etiam in rebus minimis sanctissime coleret, non opus esset ut iureiurando vel testimoniis fidem, vel promissis sanctitatem adderemus. Inuentus autem est facer hic ritus propter hominum leuitatem, qui, contra ipsum Dei Christique praeceptum, * siue, quod idem est, contra sanctam rationis legem, poenarum metu in officio volunt retineri. Putant enim, sacramenti religione magis se ad tuendam veritatem esse obligatos. — Iurat autem, quicumque per Deum obtestatur, verum se profiteri, et ab eo, si laedat veritatem, puniri velle adfirmat. Iam quum is, qui iusiurandum dicit, siquidem consentaneus est sibi, Deum se credere profiteatur: religiosi ritibus recte adnumerant sacramentum. Sed quoniam veritatem gratuito, nec vlllo poenarum respectu habito, tueri ac defendere debemus, ** ne iusiuran-

* Christus enim abolendum esse censet hunc ritum, et veritatem sponte a nobis coli debere Matth. V, 34. *Εγω δε λεγω υμιν, μη ομοσσαι ολως* etc. Idem fere praecipit Quintil. L. IX. C. 2. Plato de rep. XII.

** Cf. Cic. Off. III, 20. 1, 4 et 19: Citentur laudabilia Epaminondae et Aristidis exempla. Sen. Epist. 68. De educ. pueror. C. XIV. Et praestantissimus Tullii locus in Orat. pro Q. Roscio C. XVI. vbi: Quid interest, inquit, inter periurum et mendacem? Qui mentiri solet, peierare consuevit. Quem ego, ut mentiatur, inducere possum, ut peieret exorare facile potero. Propterea quae poena a diis immortalibus periuro, haec eadem mendaci constituta est." Sal. Prou. XII, 17. Wer wahrhaftig ist, der sagt frey (nicht aus seltsamer Furcht vor Strafen) was recht ist. Eph. IV, 25.

iurandum quidem officium Deo praestandum appellari poterit.

§. LXV.

Leuissimi est, ac prorsus dissoluti animi peierare, et haud scio, an grauiorem in se culpam admittat, qui iussus a magistratibus, post seriam rei vel promittendae, vel adferendae meditationem per Deum iurans falsa dicit, quam qui mentitur omnino. Non enim vehementi perturbatione animi rapitur ad iniuriam, non temere agit, sed considerate fallit iudices et ciuium societatem, omuemque, detecta fraude, mutuam fidem infringit.

Quaestiones:

- I. Num in praesenti humanarum rerum conditione iuramento prorsus abstinere possemus? *
- II. Si quis esse Deum dubitaret, num liceret ei per Deum iuranti?
- III. Cur, si retinemus sacrum hunc morem, raro accedere debemus ad iusiurandum? **
- IV. Quando licitum erit, sacramento adferere verum?

V. Num

* Sicut olim Phryges, qui Nicol. Damasceno teste, "omni abstinabant iuramento, ita vt nec ipsi iurarent, nec alios ad iusiurandum adigerent."

** Cf. ea, quae Pythagoras hac de praecipiebat discipulis suis Diocl. Sic. L. VI.

V. Num probanda est Isocratis admonitio, qui:
 "iusiurandum inquit, si postulabitur, duabus
 "de causis dabis: vel vt temetipsum turpi cri-
 "mine liberet, vel vt amicos periculis eri-
 "pias. Pecuniae vero causa per nul-
 "lum deum iurabis, etiam si id vere
 "facere possis?"

VI. Num Deus solus in iureiurando inuocan-
 dus erit, an per alios etiam iurare licebit?

VII. Quotuplex est sacramentum?

VIII. Quid in utroque iuramenti genere facien-
 dum erit viro probò, antequam vel promit-
 tat, vel testificetur?

IX. Qui sit, vt peierare interdum non erube-
 scant mortales? Causae sunt

a) animi leuitas;

b) Dei contemptus, cum eadem coniunctus;

c) auaritia;

d) vana ambitio. Et, quod Plato ait l. c.
 de republica, quoniam

e) magna pessimorum hominum multitu-
 do Deos res humanas curare non cre-
 dunt, aut eos blanditiis ita sibi conci-
 liari posse putant, vt liceat impune
 peccare. Denique

f) quod licere sibi putant aliud lingua
 promptum, aliud pectore inclusum ge-
 rere.

CAP. IV.

DE OFFICIIS HOMINVM ERGA SE IPSOS,
D QVATENVS SVNT ANIMANTES.

§. LXVI.

Repugnare quidem sibi videtur eorum officiorum notio, quae erga semetipsum exsequenda homini iniunguntur. Primum enim necesse est, vt, qui obligetur, diuersus sit ab eo, qui officium eidem iniungit. Iam si me obstrictum esse dico, adigi me profiteor vel inuitum; (quae enim semper sponte lubentesue peragimus, non adnumerantur officiis); Si autem mihi ipsi me obstrictum esse iudico, non differt ab obligante obligatus, quod absurdum esse putares.* Deinde, quum auctor obligationis eum, qui obstrictus sit ipsi; absolueret munere demandato, dicat aliquis, hominem, a se ipso obligatum, pro lubitu vel satisfacere posse officiis, vel ea non amplius agnoscere. Quoniam autem simul sanctissima esse statuimus officia nobis debita, nec vnquam ea tolli posse: istam sententiam ferri nequire, et alio modo explicandam esse illorum officiorum naturam facile perspiciamus.

Quae mortalibus facienda iniunguntur, ea, quum rationis solius iussu fiant, repugnant interdum cupiditatibus et sensuum libidini. Quamuis autem istae cupiditates suadeant nobis et saepissime exhortentur, vt rationis leges violemus, immu-

* Cf. Kantii *Metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre*. Königsb. 1797. p. 63. et 64.

immutabilis tamen manet harum legum feueritas, nec vlla peccandi venia conceditur. Auctor igitur obligationis, vt ita dicam, est rationis facultas; haec autem iubet, vt cupiditatibus, velut nefas fuadentibus, repugnantes, honestatem voluptati praeferamus. Quo fit, vt idem homo, quatenus non ratione solum praeditus est, sed etiam sentiendi facultate, et obstringat et obstringatur. Hanc enim vim genuinam (libertatem) nobis esse, vt pro arbitrio nostro et exsequi rationis leges, et violare possimus, nemo, qui sui habet conscientiam, infitias ibit.

§. LXVII.

Horum autem officiorum, ad quae sibi quisque obstrictus est, nonnulla pertinent ad vitae, sine qua nec perfectiores nos ipsos reddere, nec aliorum salutem curare possimus, conseruationem. Quamuis enim genuinus et veluti innatus est nobis vitae amor, id autem, quod sponte lubentesue facimus, officiis non est adnumerandum (cf. §. antec.): Fit tamen saepissime, vt vel variis aerumnis ac diuturnis calamitatibus fracti, vel sua ipsorum culpa (luxuria, voluptatis intemperantia etc.) miseri, vel senectutis onere pressi in aliam vitam migrare concupiscant mortales. Speciosas hi plerumque causas praetendere solent, quas vero, si accuratius examinentur, ineptas esse nemo non iudicabit. Scilicet:

- a) vitam sibi a Deo datam, et, instar doni, concessam esse, dono autem pro lubitu quemuis vti posse;
- b) se

- b) se non amplius profuturos esse ciuibus suis, molestiam potius iis facturos;
- c) vitam post mortem sibi arridere, in qua perfectiores aequae ac feliciores euasuri sint, et satisfacere queant officiis; Festinandum igitur esse, ut quam celerrime ex hoc orbe terrarum ad meliorem statum perueniant.
- d) Indignos esse homines, a quibus saepissime decepti grauibisque iniuriis laesi sint, quos amplius iuuare ac feliciores reddere studeant.

Quam falsae et absurdae sint huiusmodi sententiae, iuuenibus ipsis iudicandum relinquimus. —

Si verum est, vel in miserrimo corporis et rei domesticae statu officia semper sancta manere, ut pro virium certe modulo iis satisfacere debeamus, * sublata autem vita omnem auferri ista exsequendi potestatem: patet, mortem voluntariam esse: voluntariam cuiuslibet officii laesionem, nullo modo excusandam.

§. LXVIII.

Est autem suicidium, quod vocant, vel totius corporis violenta interfectio (*αυτοχειρία*), vel partium corporis mutilatio voluntaria, vel lenta earum debilitatio, quae poterat euitari. —

Num vero etiam peccat, qui vel male sanum corporis membrum abscindit, ** vel miles pro patria moritur?

Quid

* 1 Petr. IV, 10.

** cf. Kantii Tugendlehre. p. 72. et 73.

Quid de Catonis morte sibi illata, et Deiorum pro patria deuotione iudicandum esse putatis; an probanda videtur Stoicorum de tali caede sententia, qui sapientis esse putabant, contemnere vitam cum omnibus bonis, sibi que exitum pro lubitu satisfacere? *

§. LXIX.

Si corporis aegritudo, rei familiaris angustia, morositas et odium aduersus homines taedium vitae gignit, quid faciendum sit, ut huic occurramus, facile colligitur.

§. LXX.

Iuuenibus potissimum demandanda est diligens valetudinis cura, quam unicuique homini cordi esse debere nemo dubitabit. Nam et plurimum confert ad corroborandas, vel debilitandas, per omnem vitae cursum, corporis vires et viuendi ratio, quam in iuuentute secuti sumus, adeo ut plurimum posthac annorum temperantia mature perditas nequeat restaurare; et frequens morborum cohors imminet tenerae aetati. Quare qui fines ab ipsa ratione sibi praescriptos consequi cupit, sanitati consulat ita, ut non solum naturae non repugnet intemperantia, nimisque erga voluptatis libidinem indulgentia, sed arte studioque etiam iuuet corporis incrementum.

§. LXXI.

* ib. pag. 72. cf. Garui adnot. in Cic. lib. de Off. pag. 209 - 221.

§. LXXI.

Repugnat autem naturae 1) qui cibi ac potio-
nis modum non illius desiderio, sed voluptate fini-
re adfuefcit.* Nam qui vel haud esurientesedunt,
vel bibunt haud sitientes, etiamfi morbos ipsam-
que mortem non accelerent, (fuerunt certe, qui
vitam centum pluriumue annorum in maxima in-
temperantia viuerent): summum tamen humanae
naturae decus, libere, alacriter et cum dexteri-
tate ** agendi facultatem vel profus sibi eripiunt,
vel debilitant atque infringunt. Post immodicam
enim ciborum consumptionem iners animus cor-
pusque ignauum redditur; ebrius autem bruto
quam homini similior est, imo aliis maiorem quam
ipsae bestiae molestiam maiusque damnum adfert.
Nam animalia bruta facilius coërceri, et, quum
fermonis facultate non sint praedita, loquendo
certe nemini nocere possunt. Ebrius autem ho-
mo contra ius fidemque aliorum et sua ipsius ar-
cana eloquitur, offendit innocentes, libidini in-
dulget, officia nequit facere, et foedissimum prae-
bet spectaculum, adeo vt Spartani seruorum viuo
grauium adpectu liberos ad ebriositate deterrere
studerent. *** Iuuenes igitur in edendo biben-
doque semper meminerint, homines se esse, † ac
ita

* Quam paucis autem illa contenta sit, Cornari, Itali ex-
plum, et multa historiae documenta probant.

Vid. Hufelandi v. c. Kunst das menschliche Leben zu
verlängern.

** Luc. 21. 34.

*** Num hoc erat licitum per honestatis leges?

† Seneca Epist. XVI. XCII. et VIII.

ita mature adfuescant, vt natura non postulante abstineant alimentis. * Et quum facile in consuetudinem abeat, quod exhilarandi animi gratia pluries fecimus, illius autem tanta sit vis, vt sine valetudinis damno nequeamus a solito viuendi modo recedere: principiis est obstandum. Vino imprimis, quod hilarem aliquamdiu reddit animum, ne voluptatis illecebris irretiamini, raro vtendum est; tum nempe, quum vel corporis valetudo suadet, vel ad communem cum aliis laetitiam modica eius portione augendam inuitamini. Verum vbi animus aegritudine ac tristitia commotus est, nolite vino pellere curas. Redeunt enim animi dolores cessante crapula, et cum ipsis renouatur bibendi desiderium.— Qui vini portione ad confabulationem cum aliis se studet excitare, dummodo ebrietatem vitet, facilius excusatur, quam qui cibos praeter necessitatem sumit.— Qui autem corporis robur nimium edendo confirmari credit, vehementer fallitur.

§. LXXII.

Neque minus sanctam naturae legem violant, qui amore, quo totius generis humani conseruationem ac propagationem efficere voluit illa, ad solam voluptatem abutuntur; qui vel

sensuum titillandorum gratia, non vt liberi procreentur, cum feminis coeunt, vel nullis ad liberos alendos educandosque necessariis facultatibus instructi, subolem miseram gignunt,

* Seneca Ep. LXXVIII, et CXIX.

nunt, vel denique, quod nefandum est atque abominandum facinus, sine vlllo cum feminis commercio libidinem imaginibus lasciuus excitatam explere non erubescunt.

Hanc omnis pudicitiae, salutis, fanitatis tam animi quam corporis pestem detestabilem, hoc flagitium, quo, si vltorius instar contagionis propagaretur, omne genus hominum interiturum esset, angue peius et cane fugiant iuuenes. Nam qui hoc in se admittere non erubescit, omnem exiit humanitatem, et, quod in rerum natura praestantissimum est, lasciuiae gratia perdere conatur. Quo fit, vt eiusmodi hominem, quem facile agnosimus oculis languidis, vultu et corpore effeminato, ingenii stupore atque amentia, fronte impudico, omnes boni auerferentur, et ignominia, cuius notas eiusdem faciei iniustas cernunt, dignissimum iudicent. Idque merito. Nam cuius tam proterua est lasciuia, vt suam ipsius dignitatem contra vim adfectuum tueri nequeat; vt instinctum, qui ad finem altiorem nobis innatus est, imaginationis vi reddat vehementiorem, suaeque libidini ipse succumbat, cum omnem amiserit pudorem, virtutis propugnaculum: nihil sanctum habebit, nec vlllo, si libido posuulet, crimine abstinebit. Pudici homines tali de re ne loquuntur quidem libenter, nec etiam nos de hoc flagitio locuti essemus, nisi iuuentutis salus feriam postularet admonitionem.

§. LXXIII.

§. LXXIII.

Abstinebunt igitur probi honestique iuvenes

- a) eorum librorum, qui lasciuas libidines excitare possent, lectione. Non diu subsistent in iis veterum poetarum (Ouidii, Horatii, Iuuenalis, Tibulli etc.) locis, qui pudorem offendunt, et moniti a praeceptoribus omnes huiusmodi voluptatis illecebras diligenter euitabunt, quales in compluribus fabulis Romanensibus inueniuntur.
- b) Si quis pudicitiam eorum corrumpere conetur obscenis sermonibus factisque, eum tanquam inimicum virtutis suae ac salutis fugiunt. Nam qui spurce dictis lubens auscultat, vel vitia ridet, parum abest, quin a virtutis tramite seducatur. Resistant igitur, sicut olim Hercules in biuio positus, irritamentis malorum.
- c) Honestarum feminarum, pudicitia septarum, consuetudinem, quae prodest magis et reprimat libidinem, quam nocet, expetunt, lasciuas autem mulierculas, quae vel corpore merentur, vel sermonum leuitate alliciunt, sedulo euitent.
- d) Temperantia in victu tutos se praestent ab adfectuum vehementi commotione.
- e) Vbi denique ad libidinem excitari se sentiunt, feris negotiis, strenuo corporis labore, quo fatigentur, et suae ipsorum dignitatis atque fortitudinis consideratione, illi repugnent.

§. LXXIV.

Negligere morbum, in principio leuem, et vel ex falso pudore peritis non confiteri corporis statum, vel superstitiosis se credere, vel praecipitam a medico viuendi rationem non sequi, nec remediis iusto tempore uti, nefas est.

§. LXXV.

Studioſi iuuenes monendi etiam ſunt, ne, dum in reliquis ſint temperantes, modum excedant in adſiduitate. Nam qui nimis diu ſedet, incuruato praefertim pectore, iuſtoque diutius perſeuerat in vno eodemque negotio, vitae limites coarctat, et valetudini nocet. Quid autem ſit nimium, cuius iudicandum relinquitur. Lucubrations vitandae ſunt; corpus quotidie, ſi fieri poteſt, exerceatur; vapores e cubiculo expellantur; ſomnus capiatur tempore aptiſſimo, iſque modicus.

§. LXXVI.

Hactenus de iis officiis locuti ſumus, quorum laeſione naturae fines impediuntur. Neutiquam autem ſufficit, vt huic haud repugnemus, ſive vt omittamus ea, quae vitae conſeruationem corporisque ſanitatem impediunt; ſed adiuuanda etiam eſt natura, et ſtudendum, vt corporis vires, quantum liceat, augeantur ac corroborentur. Quam late autem pateat hoc officium, e vitae genere, quod quiſque amplexus eſt, indicari debet. Milites enim, venatores, nautae,
et

et omnino qui corporis, non ingenii, viribus de republica mereri student, frequentius sine dubio illas debent exercere. Verum quoniam cuius homini recte praecipitur,

- a) vt vitae terminum ad fines humanitatis consequendos quam longissime remoueat,
- b) vt ad varios labores perferendos, si necessitas postulet, aptum se reddat, *
- c) vt in iuuentute praesertim, quum incerta sit futurae vitae conditio, nullam nec corporis nec ingenii vim profus incultam relinquat: facile colligimus, illam corporis excolendi curam omnibus, inprimis autem iuuenibus, cordi esse debere. Discant igitur, si fieri potest, artem gladiatoriam, saltandi, equitandi, et aliis etiam ludis gymniciis aliquantum temporis tribuant. Eos tamen, qui cum magno vitae periculo coniuncti sunt, et quibus facile mutilari possent corporis membra, diligenter euitent. Luanacris frigidioribus usum esse, cursu, pugilatu, natando, discorum iactu mature corpus exercuisse non poenitebit.

§. LXXVII.

II) Quatenus sunt virtutis indole praediti.

Non autem corporis solum viribus gaudemus, sed virtutis etiam indole et cogitandi facultate, quarum recta aestimatio, et indefessa cultura

ra

* Cic. Tusc. II, 16. cf. Off. I. C. 34.

ra sanctissimis officiis adnumeranda est. Sine his enim ne fines quidem nobis praefigere, et, quid faciendum sit, cognoscere possemus, nec inter nos et bruta animalia quidquam interesset. Omnibus autem reliquis animi dotibus longe praestantior est arbitrii libertas, siue voluntas a cupiditatum seruitio libera, qua fit, ut praesentis voluptatis irritamenta contemnere, quid uniuerso hominum generi debeamus, iudicare, et legibus non ab alio constitutis, sed a nobismet sanctis obedire queamus. Hanc igitur diuinam indolem, in qua vnica et vera hominis dignitas consistit, quae non singulis propria, sed omnibus per totam vitam communis est, vel maximis diuitiis, summo honorum culmini, iucundissimis voluptatibus praeferre et in quouis vitae statu, in summis adeo miseriis tueri debemus. Quare quibus vitiis resistere debeant iuuenes honesti, ut eam tueantur, nunc exponam.

§. LXXVIII.

Auaritia nihil est turpius, nihil homine indignius. * Nam auarus colligit quidem et coarceuat varia vitae bona, quibus suis desideriiis satisfacere posset, non autem utitur iis ad fines a ratione praescriptos, sed detrahit sibi, ut marsumpium impleatur. E. g. si aegrotat, medicinam emere non audet, si corpus eget recreatione, cibo nec salubri utitur nec sufficienti; si ad litterarum studia requiruntur libri pretiosiores, ignorare

* 1 Tim. VI, 10. VL, 9. Eph. V, 5. Cic. Offic. I, 20. 7.

re mauult, quam emere illos. Seruus igitur est suae libidinis, et officiis sanctissimis habendi cupidinem praefert; hominis dignitatem exuere non erubescit.

Nonnulli in tenera iuuentute huic vitio, quod in dies crescit, indulgere coeperunt. Caueat igitur adolescens ne ista libido in animum irrepat, et nullum memento diuitias pretium habere, nisi ad fines humanitatis obtinendos iis utamur. Qui se huic vitio dare, suisque commoditatibus detrahare coepit, vt parcat pecuniae, in magno etiam est periculo, ne aliorum hominum despiciat dignitatem, nisi forte poenarum metu a sceleribus deterreatur. Alios fraudulente decipere, mercedem cum fide non exsoluere, crudelitatem exercere in eos, qui stipem petunt, nunquam se liberalem praebere, auarorum est. De his quidem humanorum iurium laesionibus singulatim postea loquar: hic autem, quamuis auaritia per se vitanda sit, terrere volebam iuuenes eorum facinorum, quae sequi solent eandem, enumeratione. * —

Quatenus differt ab auaritia luxuries? Num recta est Aristotelis sententia, qui virtutem in medio consistere (ἐν μέσῳ κείσθαι) docebat, vt si eum sequeremur, parsimoniamque diceremus in medio luxuriae atque auaritiae positam esse, probari posset haec nostra sententia? *** Cur luxuriam,

- * Der Geiz ist eine Wurzel alles Uebels. Vid. 1 Tim. VI, 10.
- ** Quid de hoc Aristotelis dicto, similibusque Horatii iudicandum sit, rectissime ponderauit Illustr. Kant, in doctrina virtutis p. 90. et 91.

riem, etiamſi non reſpiciamus ad alios homines et officia ciuibus noſtris praestanda, fugiendam eſſe arbitramur?

§. LXXIX.

Quicumque lubens ac ſciens vel ſponte falſa dicit, vel eos fallit, quibus veritatem exigendi * ab eo ius competeat, ſiue ſermonibus hoc fiat, ſiue aliis indiſciis, quibus animi ſententiae declarantur, etiamſi nullum cuiquam detrimentum e mendacio exiſteret, grauem in ſe culpam admittit. ** Et ſinis adeo bonus, quem mentiendo conſequi ſtuderemus, non excuſaret huius criminis turpitudinem. Hanc veritatis ſanctitatem rationibus confirmare, quum hic ad detrimentum, quod ex eiſdem laeſione oriri poſſet, non reſpiciamus, difficillimum eſt. *** Sufficit, vt ad cuiusque conſcientiam pronocemus. Nonne contemptu Vos dignos eſſe ipſi iudicatis, cum vel parentibus, vel doctore, vel comilitonibus mentiti eſtis? Nonne tum etiam in culpa eſſe arbitrabamini, cum neminem damno affecerant mendacia Veſtra?

Silentium, vbi veritatem profiteri debeamus, pro mendacio habendum eſt. † Mentuntur

* Cf. Cic. Offic. III, 28. 28.

** Eph. 4. 25.

*** Nam ea quam Kant. l. c. p. 84. profert, non ſufficit. Dicit enim, hominem, qui non credat ſuis ipſius dictis, minus prodeſſe quam res mutas, loquendi facultate deſtitutas. De vtilitate hic autem non eſt ſermo.

† Recte Ammianus L. XIV. C. 31. Veritas, inquit, vel mendacio corrumpitur, vel ſilentio, 7

tur denique sibi ipsis, et humanam dignitatem violant, qui, quae vera esse putant, non audent sibi confiteri. E. g. si quis de veritate dogmatum quorundam, hucusque sanctorum, post seriam meditationem dubitare cœpisset, nec tamen, superstitioso poenarum metu territus, a veteri sententia recedere auderet, sibi que persuadere conaretur eius veritatem fictis argumentis: non modestus hic, sed mendax adpellandus esset. Diffidere suis cogitationibus argumentisque, iis praefertim quae a vulgari multorum opinione differunt, modesti est; id autem sibi persuadere velle, quod rationibus confirmari nequit, et certissimis adeo propositionibus repugnat, animum prodit feruilem et abiectum.

Num vero etiam mentiri putatis eos, qui fabulis, lepideque dictis coetum conuiuorum exhilarare student? An excipiendi sunt e mendacium numero, qui, cum vel in litteris, vel coram, nos alloquuntur, totos se nostros esse profitentur?

§. LXXX.

Qui cum sinceritate animi et sine dissimulatione in se descendens, suam agendi rationem cum honestatis legibus comparat: facile, quantum a scopo humanitati proposito distet, poterit videre; nec dubium est, quin haec comparatio vanam arrogantiam, virtutis pestem, tollat, modestumque reddat hominem. Sed laudabilis haec modestia, quae tanto maior est, quanto rectius
offi-

officiorum sanctitatem cognouimus, non est commutanda cum humilitate animi seruilis. Modestus enim homo, quamuis non eum se esse sentiat, qui esse deberet, erigitur tamen dignitatis humanae conscientia, dum formam et velut speciem honesti videt; contra, qui vel suam aliis libertatem vendit, vel, vt aliorum fauorem sibi conciliet, iniurias sibi suisque illatas non audet propulsare, vel blandiendo nimium auget aliorum laudes, sua vero merita nullius aestimare videtur: is, cum se ipse despiciat, dignus est, qui ab optimo quoque despiciatur.

Vtrumque igitur, et humilitas animi et superbia, vitandum est. Quare iuuenibus, qui reliquis praestant ingenio atque doctrina, praecipimus

- I) vt genuinas animi dotes non sibi, sed naturae se debere nunquam obliuiscantur;
- II) vt elementa atque initia tantum doctrinae solidioris se tenere, et prima vix immensi campi stradia percurrisse meminerint;
- III) vt semper cum melioribus, cum peioribus nunquam, se comparent. Quamuis enim ex aliorum factis, quid sit faciendum, nunquam intelligimus; tamen ad superbiam deprimentam proderit in optimi cuiusque vitam inspexisse. Itaque si Vobis mature docti, et aequalibus praestantiores videmini, cogitatis, quid Leibnitius et alii multi, tam veterum quam recentiorum, fecerint, cum ne Vestram quidem aetatem attigissent.

IV)

IV) Ut industriam et adfuitatem eorum, qui sint ingenio tardiores, laudabiliorem esse, quam ingenioforum deficiam, recordentur.

V) Denique, tantam esse diuersitatem ingeniorum, ut, qui tardius linguas et similia discat, in artibus forsan et doctrinis alios post se relinqueret.

Qui, vel generis nobilitate, vel diuitiis excellit, memento:

- 1) veram hominis dignitatem in virtute, non autem in nominibus opibusque conspiciant esse, eoque nobiliorem se fore, quo magis reliquos antecellat moribus honestis;
- 2) nobilitatem generis a maioribus vel virtute partam, vel iis casu quodam et principum ludibrio concessam esse. Illam quidem gloriosam fuisse, non autem ad liberos, nisi parentibus digni sint, quamuis hi commodis titulisque fruuntur, pertinere; virtutem vero non esse rem hereditariam. Alteram hanc nullius omnino aestimari debere. Omnem denique huiusmodi nobilitatem, et opulentiam fluxam fragilemque esse, Francogallorum exemplo moniti, recordentur.

Quam ridiculus sit fastus eorum, qui corporis habitu, vestibus ornamentisque superbiunt, iuuenum praesertim, qui parentum beneficiis haec omnia debent, vix est quod moneam. Nam iis rebus superbire, quas aliis acceptas referimus, etiam si non offendamus aequales (hic enim

enim de officiis hominum societati praestandis nondum loquimur) et stultum et inhonestum est, cum suas adeo virtutes suaque merita nimis magni facere non liceat.

Ista igitur vitae bona, et humanitatis dignitatem, nullo pretio compensandam, recte aestimando superbiam aequae ac humilitatem fugiatis.

§. LXXXI.

Non arrogantiam solum, et illiberalem sui contemptum, dissimillima vitia, facilius euitabit, sed omnino in moribus honestis magis in dies proficiet, qui saepissime in se descendit, sui que notitiam sibi comparare studet. Commendandum igitur est illud priscae philosophi praeceptum: *ᾧ ὁδὸν σκᾶντο*. Neque hoc ita intelligimus, ut ea tantum, quae singulis diebus fecerimus, examinare iubeamur; sed omnis nostra sentiendi ratio, quatenus cum honestatis legibus conveniat, penitus est perspicienda. Disquirendum est, utrum honestatis cultus ita nobis arrideat, ut omnia vitae bona et vitam adeo ipsam amittere, quam illius leges violare et scelus perpetrare malimus; quid nobis ipsis, quid aliis, parentibus, doctoribus, fortunae debeamus; utrum, si eadem esset nostra, quae aliorum hominum, quos iam forsitan despiciamus, conditio, in ea, quam nunc sequamur, agendi ratione perseveraremus. Et quoniam verendum est, ne nimio nostrum amore, vanaque factorum nostrorum admiratione in hoc examine capti, meliores nobis, ac reuera simus, videat-

videamur: opus est seuerò, accurato, et subtili fere iudicio. Praeterea, quum facile deleatur actionum antea cognitarum memoria, iterandum est illud tentamen, et, ne facinoribus iam factis laudem iusto maiorem tribuamus, inter agendum, quotiescunq; fieri potest, obseruetur, quibus momentis ad res agendas impellamur. Tum vero saepissime intelligemus, vtile nos magis quam honestum sequutos esse, poenitebitque nos leuitatis. Attamen haec poenitentia, quamuis cum aegritudine quadam coniuncta sit, elatique animi quietem paulisper turbet, optima est adiutrix virtutis.* Nam extirpare vitia, et velut animi labe abstergere nequimus, nisi diligenter inuestigauerimus eadem,** nec vulnera sine doloribus curantur. Quum interim ipsi iudices simus, et de factorum nostrorum vel honestate vel turpitudine sententiam ipsi feramus, praestantissima haec naturae humanae indoles non finit nos humiles esse.

§. LXXXII.

Quaecunq; ad honestatem colendam exhortantur, et irritamenta malorum minuunt, qualia sunt pudor, commiserationis adfectus, gaudium ex aliorum felicitate perceptum, pulchritudinis tam naturae, quam operum arte factorum, sensus, ea fouere, atque excolere studeto. Quamuis enim
per

* Die Traurigkeit, von welcher Paulus sagt: sie wücket zur Seeligkeit eine Reue, die Niemand geneuet.

** Praeclare igitur Kantius: Nur die Höllefahrt des Selbst-erkenntnisses bahnt den Weg zur Vergötterung.

per se nec laudandi nec vituperandi sint huiusmodi adfectus, cum non ab hominis studio, sed a natura profiscantur: tamen non decoram solum reddunt mortalium vitam, moresque suauiores, sed a turpibus etiam factis deterrentes, ad pulchra autem incitantes, virtutis quasi fulcra sunt, eoque paulatim ducunt hominem sensuum potestati subiectum, qui rationis leges nondum satis suspicere consuevit, ut facinoribus per se honestis magis in dies studeat.

§. LXXXIII.

Nam quod ad pudorem attinet, quo fit ut integer homo scelerisque purus a lasciuia voluptate abhorreat, ut turpiter dicta, petulantiam contumaciamque erubescat, ut ne de pudicitia quidem, quod recte obseruat Tullius, libenter loquatur: firmissimum est virtutis propugnaculum.* Hunc itaque tueantur iuuenes honesti; ab eorum membrorum, quae natura occulta esse voluit, adpectu tactuque abstineant; sermones obscenos neque ipsi cum aliis conferant, neque iisdem auscultent. Vbi enim amissa est pudicitia, vitiorum contagioni non tam facile resistere poterunt.** Non autem sermonibus solum, sed librorum etiam quorundam lectione corrumpitur, de quo supra diximus.

§. LXXXIV.

* cf. Cicero de Officiis L. I. Cap. XXXV. §. 3. sqq.

** Praeclare Gellertus: Einmal versehenzt und aufgegeben, verläßt sie uns im ganzen Leben, und keine Reu' bringt sie zurück. Erzittre vor dem ersten Schritte; mit ihm sind auch die andern Tritte zu einem nahen Fall gethan."

§. LXXXIV.

Pulchritudinis sensus augeatur naturae et operum arte factorum contemplatione, poëmatum castorum, qualia sunt Virgilii, plurima Horatii, Homeri et recentiorum quorundam (a peritis doctoribus commendatorum) assidua lectione, et ipsarum denique artium, musices imprimis, studio. Quamvis enim necessario non sit cum pulchri sensu coniuncta morum honestas, tamen ab actionibus per se turpibus facilius abhorrent, qui venustum, pulchrum et decorum, a deformi foedoque distinguere consueverunt.*

Quum igitur naturae spectacula illum pulchri sensum alant, foueant atque delectent, non licet flores pulchros plantasque versicolores et similia, ubi nulla necessitas cogit, petulanter destruere. Eth enim res illae, cum nec vita nec sentiendi facultate gaudeant, non possunt offendi, minuitur tamen proterua eorum mutilatione sensus pulchri, quem retinere et alere quisque debet.

§. LXXXV.

Aliorum hominum, et bestiarum adeo, miseriae et dolores vt commiseremur, siue, vt ingrato sensu nos adficiant animantium dolores, praecipui quidem, et officii adnumerari nequit; non enim postulatur a nobis id, quod a natura proficiscitur. Quum autem huiuscemodi commiser-

* cf. Schillers Abhandlung in den Horen über ästhetische Bildung.

ferationis sensus homini genuinus sit, et ad beneficentiam, ratione moderandam, exhortetur, non est deminuendus, sed excitandus interdum, ita tamen, ut non impediatur nos, quominus iustitiam in ipsis beneficiis colamus. Quare qui bestias dolore cruciatibusque sponte adficiunt, quum sensum illum, virtutis adiutorem atque exhortatorem frangant, in culpa sunt, quamvis ad officia brutis praestanda non simus obligati.

Nobis ipsis igitur obstricti sumus non ad huius tantum sensus, sed ad aliorum etiam adfectuum naturalium excitationem et moderationem. — Quatenus progredi licet in excolendo huiusmodi sensu? — Num recte Vobis agere videntur, qui vel dissecandis bestiis ea cognoscere student, quae alio modo potuissent intelligere, vel etiam spectacula exhibent animalium crudeliter se inuicem lacerantium?

§. LXXXVI.

Venio nunc ad eam honestatis officiorum partem, quae maxime litterarum cultoribus commendanda est; subiungam enim praecepta, quae dotium ingenii, memoriae, iudicii et reliquarum virium culturam spectant. Quae cum in iuuentute facilius quam in senectute capiant incrementum,

- 1) non modo non negligendae sunt discendi opportunitates, vel in schola vel in communi vita iuuenibus sese offerentes, sed etiam dili-

diligenter anquirenda quaeuis culturae adminicula.*

a) His vero adminiculis atque opportunitatibus ita utendum est, ut quam maximum ex iis fructum hauriant. Iuvenes igitur

a) in scholis aequae ac in circulis eorum, qui de rebus scitu dignis fermocinantur, ad ea, quae dicuntur quaeque leguntur, attendant, et vel secum vel cum familiaribus repetant audita.

b) Multum quoque eos adiuuabit diligens ad res legendas praeparatio, qua fit, ut locorum difficiliorum scientia instructi magis attendant ad eorum explicationem; quocirca recte praecipunt, qui discipulos nunquam non praeparatos in scholam ire iubent.

c) Calamo notentur ea, quae facillime excidere possent memoria, eaque domi denuo perfecta in iustum ordinem redigantur.

d) Nec vero etiam negligenda est librorum, singulorumque locorum a magistris commendatorum, perlectio.

5)

* Laudabile est in hoc genere Epaminondae exemplum.

"Frat (inquit Nepos Cap. 3.) studiosus audiendi; ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Itaque cum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philoſophia sermo haberetur, nunquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset deductus." Et similem discendi cupiditatem in Iunio Auito laudat Plinius Lib. VIII. Epist. 21.

F

3) Deinde, quum ex aliorum praeceptis institutionibusque eo maiorem hauriamus utilitatem, et in omni litterarum artiumque genere proficiamus eo facilius, quo tenacior sit memoria, * quo subtilius acumen ingenii, quo promptior intelligendi iudicandique facultas, harum autem virium robur exercitatione mirum in modum augeatur, ** quid faciendum esse arbitramini?

Num vel debilitatam vel neglectam memoriam restaurari vel augeri posse creditis medicaminibus herbarum potentium, aliisque remediis vulgo laudatis? An aliam certioreque nostris memoriae colendae artem? Triplex est eius augendae ratio. Vel singula verba numerosque, vel longiorem verborum cohaerentium seriem, vel denique argumenta locorum potius quam singulas voces tenere adfuecit. *** Cur autem non sufficit, ut unam tantum alteramue in colenda memoria viam sequamur?

Judicii

* "Nihil aequae vel augetur cura, vel negligentia intercidit, quam memoria." Quintil. cf. L. XI. C. 2,

** Themistocles, Mithridates, Crassus, Cyrus, Theodectes, "quantum natura studioque valeat memoria" suo exemplo testantur. cf. l. c. et Ciceronis IV Academ. Cap. I. et II. fin. Cap. 32. Παντα ξυσι (inquit Socrates LI. in memorabil. apud Xenoph. §. 23. *ve donec τα καλα και τα αγαθα ασκητα εναι, εχ ημιστα δε σωφροσυνη.*

*** Cf. Seidenstückeri libellus de triplici memoriam excollendi ratione. Helmstädtii.

Iudicii vires augetur disputandó, scribendoque de argumensibus iusto ordine dispositis. Proderit etiam ludum Leibnitianum sedulo exercuisse, aenigmata soluisse, librorum perlectorum argumenta excerpisse. Commendandum imprimis est matheos, totius philosophiae, et iuuenibus imprimis Logices atque Rhetorices studium. Ipsa denique veterum scriptorum assidua et diligens lectio saluberrimum est ingenii pabulum.

Nec etiam imaginandi facultas (*Φαντασία*) negligenda erit. Prodest enim haec animi vis ad cognoscendum; auget etiam, ubi recte culta est, splendorem et decus virtutis, factorum dictorumque lepore elegantia et modo.*

At enimvero cauendum est, ne vná animi vim colendo reliquas eiusdem vires profus negligamus. Parum enim proficeret, qui, memoria vel tenacissima instructus, destitutus esset iudicandi facultate, nec rursus mens acutissima memoriae adiumento carere potest.

4) Ex variis vel artibus, vel disciplinis, in quibus colendis humana ingenia versantur, quum omnia omnes nec possumus facere, nec debeamus, vna erit eligenda, ad quam studium nostrum conferamus. Confundit et perturbat animum, perfectamque eruditionem impedit ἡ πολυπραγμοσύνη.

In eligendo autem vitae genere vel nostrum sequi licet arbitrium, vel parentibus, siue iis, qui paren-

* Schiller über ästhetische Bildung der Sitten,

parentum loco sunt, obtemperare debemus; interdum etiam paupertate, et adminiculorum penuria negotiis maxime nobis arridentibus prohibemur.

Si nobis deliberandi potestas relinquatur, videndum est

a) ne vel temere, vel splendore, vanaque gloria commoti amplectamur id, quod primo ad spectu nobis arridet. Expetenda sunt prudentiorum de commodis atque incommodis cum aliquo vitae genere coniunctis consilia.* Deinde

b) quaerendum est, vtrum illiberale et fordium, an honestum sit artificium; vtrum merito an iniuria, quod saepissime accidit, a ciuibus contemnatur. Nam ea vitae genera, quae cum ipsa honestate pugnant, qualia sunt lenonum, aleatorum, praedonum, foeneratorum, vitanda esse nemo dubitabit.**

Distin-

* "Ineunte enim adolescentia (inquit Cic. L. I. de off. C. 32. §. 9.) cum est maxima imbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit." Idemque l. c. Cap. 33. "Est igitur adolescentis, maiores natu vereri, exque his deligere optimos et probatissimos, quorum consilio, atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim aetatis incertitia senum constituenda et regenda prudentia est."

** Vereor autem, vt quisquam cum Tullio consentiat, qui mercenariorum omnium, et eorum, qui mercantur a mercatoribus vt statim vendant, opificumque, negotia fordida esse putat. Opificum certe negotia non sunt fordida; non enim cum honesto pugnant, et vitilissima sunt reipublicae. Mercaturae genus ab eo vitilissima sunt reipublicae. Mercaturae genus ab eo vitilissima sunt reipublicae. Mercaturae genus ab eo vitilissima sunt reipublicae. Mercaturae genus ab eo vitilissima sunt reipublicae.

Distinguendum autem est inter honestatem negotiorum internam, et eam, quam vulgus eis tribuit, laudem. Nam vulgi existimatio non semper vera est, sed a praeiudicatis interdum opinionibus proficiscitur, quas verbis factisque refellere studebunt viri sapientes. — Exempla artificiorum immerito contentorum cuilibet in mentem venient. —

Si fieri potest, euitanda sunt ea

- α) quae impediunt voluntariam et animi et corporis actionem. Nihil enim est indignius natura humana, quam temere aliorum arbitrio parere. Opifex igitur, quam famulus, esse malet vir honestus, siquidem deliberandi potestas ei relinquatur;
- β) Minoris etiam facienda sunt negotia, quae solius fere corporis agitatione perficiuntur, ingenio nullum praebent pabulum, mentisque vires prorsus incultas relinquunt.
- γ) Nec valde laudandum videtur viuendi genus eorum, qui nihil aliud agunt, quam ut otiosorum voluptatibus seruiant, quale est aulicorum quorundam hominum, musicorum, mediocriter doctorum, et histrionum in pagis vicisque vagantium.

c)

peratum non admodum laudabile esse concedo. Vid. l. 1. de off. Cap. 42. Conf. quae de vitae genere monet Cap. 31. 32. 33. et Garui praestantissimi ad omnem hunc locum adnotationes p. 221 - 228. Ad Romanorum mores respiciendum est.

c) Tum explorata diligenter negotiorum honestate, suum quisque noscat ingenium * acremque se et bonorum et vitiorum suorum indicem praebeat, ut, ad quas res aptissimus erit, in iis possimum laboret."

Iuvenes igitur literarum studiosi, priusquam vel medicae arti, vel iurisprudentiae, vel alii cuidam disciplinae operam dare incipiant, ingenii sui vires explorent, animi studia noscant, et ipsius artis commoda cum incommodis comparent, ne in coepto vitae cursu impediatur difficultatibus inopinatis.

d) Utilitatis etiam, quam et nobis et aliis exercenda aliqua arte adferamus, habenda est ratio. Totius autem reipublicae commoda nostris ipsorum praeferenda erunt.

e) Denique respiciendum est ad rerum discendarum opportunitates et adminicula, quibus quisque gaudeat, ne his destitutus in officio claudicare cogatur.

Certissime hinc colligitur lex vniuersalis huiusmodi:

Quae cuiusque ingenio et lubidini aptissima, totique reipublicae utilissima sit ars, eam, dummodo non repugnet honestati, neque necessaria eiusdem adminicula desint, prae ceteris eligendam esse.

Sae-

* Quod praeclare monet Tullius I, c. XXVI, 10.

Saepeffime autem fit, vt, antequam ipfi factis iudicare poffimus, quae viuendi ratio maxime nobis conueniat, parentum vel tutorum praeceptis obediētes, aliquo certo genere curſuque viuendi implicemur. * Interdum etiam neceffitate et rei domesticae angustia compellimur ad negotia parum apta ingenio nostro. Quod si factum fuerit, non statim commutare debemus vitae genus, vbi vel potestati paternae erepti, vel opulentiam nacti erimus. Considerandum erit:

- 1) vtrum honestati et dignitati humanae conueniant negotia suscepta. Si repugnant honesto, quid facere debeamus, non est dubium.
- 2) quos progressus fecerimus in arte discenda exercendaque; si iam ita sumus edocti, vt rei publicae multum prodesse queamus, tardiores erimus ad vitae commutationem.
- 3) Aetatis, locorum, neceffitatum, consuetudinis, qua fit, vt adſuefacti certo viuendi modo, non facile desueſieri poffimus, rationem habebunt prudentes. *

§. LXXXVII.

Qui vel disciplinam aliquam vel artem, vel aliquod omnino vitae negotium, post feriam rei suscipiendae considerationem, tractare coepit, is

1)

* Cic. l. c. Lib. XXXII, 9. cf. XXXIII. vbi: illud, inquit, maxime rarum genus est eorum, qui aut eccellente ingenii magnitudine, aut praeclara eruditione atque doctrina, aut vtraque re ornat, spatium etiam deliberandi habuerunt, quem potissimum vitae cursum sequi vellent."

** Cf. Cicero l. c. XXXIII, §. 8.

1) constantiam teneat; * "nihil enim est, quod tam deceat, quam in omni re gerenda consilioque capiendo seruare constantiam." Itaque

α) nec rerum nouitate, nec ambitione stulta ab iis studiis, quae ad ingenium ipsius accommodatissima visa sunt, distrahi se patiatur;

β) cum omni virium contentione perfectam rerum discendarum scientiam sibi comparare studeat. Non enim turpe solum est, disciplinam, cui studueris, et quam te scire profitearis, primis tantum labris gustasse, sed etiam ciuitati noxium. Quantam, verbi causa perniciem adferre possint medici, et iurisconsulti, mediocriter docti, nemo ignorabit. Quaeuis igitur artis suae adminicula diligenter anquirat, nec eo solum consilio; vt alimenta sibi parare queat arte exercenda, sed hac potius mente, vt perfectiorem reddat eandem, operam ei dare incipiat. Quod facilius facere poterit, si veritatis cognitionem omnibus reliquis commodis praefere adfuescit. — Mercenarii potius, quam sapientiae cultores adpellari merentur, qui pecuniam primum, eruditionem post nummos, quaerendam esse censent. —

Homi-

* 16. §. 6. Tullius quidem non de vitae negotiis loquitur, quod Garuius docet l. c., plurimae autem eius sententiae commode huc transferri possunt. Cf. XXXIV, 13.

Homini vere docto non facile deerunt
alimenta. —

§. LXXXVIII.

Quum vel difficillima in quouis vitae statu
negotia rectius et cum successu prosperiori per-
agantur, si modum et ordinem iustum sequimur
in administrandis iisdem, hic etiam obseruandus
erit literarum cultoribus, aeque magis, quo ma-
iorem curam diligentiamque requirunt animi,
quam corporis exercitationes. Itaque

- a) caueant, ne nimis multa vno eodemque tem-
pore suscipiendo negotiorum veluti cumu-
lo obruantur. Verendum enim est, ne ni-
mis occupati vel taedio laboris adficiantur,
omnemque deleant amorem literarum, qui
maxima vincit impedimenta, vel in multis
aliquid, in rebus grauissimis parum
proficiant; deinceps
- b) vtilia et maxime necessaria praeferunt re-
bus futilibus et superuacaneis. *

c)

* Cic. Offic. I, §. 6. "Duo vitia vitanda sunt: vnum, ne
incognita pro cognitis habeamus; — — alterum est
vitium, quod quidam nimis magnum studium
multamque operam in res obscuras atque
difficiles conferunt, easdemque non ne-
cessarias. Cf. de Fin. V, 13: Salsa etiam est Aristip-
pi, hominis ceteroquin lenissimi, sententia, qui multa
sine discrimine legentes voracibus comparabat, vtilia
legentes iis, qui modico et salubri victu fruuntur. Et
ὅχι πολλά, inquit, ἀλλ' οἱ χρησιμα ἀναγιγνωσκον-
τες ἰσι σπεδασι. Cf. Diog. Laërt. p. 50. E.

- c) Quoniam animus iisdem rebus occupatus fatigatur, varietas autem delectat et prodest ad perfectiorem diuersarum animi virium culturam, commendanda quidem est vicissitudo studiorum, sed ita, vt similia coniungantur similibus, ea que combinentur, quorum alterum lucem praebeat alteri. —

Rectissime coniungitur historiae studium cum geographiae et et chronologiae scientia. Arcte etiam cohaeret physicorum doctrina cum disciplinis matheos, theologia cum exercitationibus philologicis atque historicis etc. Denique

- d) in iis, quae elaborant, vel leuissima vitia sedulo euitare perfecteque omnia facere, mature adfuescant, ne aliquando in grauioribus rebus labantur consuetudine. —

Ordo in peragendis negotiis quo facilius seruetur:

- a) singulis diei partibus certa proponantur studia;
- b) nihil differatur et procrastinetur, nisi cum vel necessitas urget, vel grauiora impediunt officia. "Nemo enim ita teneatur discendi studio, vt eos deferat, quos tutari debet; ab officio discedit, et a iustitia,* quae in hominum tuendis commodis maxime cernitur, et contemplationi, cogitationique rerum anteponenda est." Cic. in Lib. cit. I. 43.
- c) Atque cum in rebus maximis plus detrimenti adferat cunctatio, quam in leuioribus,
haec

* Vel potius a beneficentia.

haec posthabeantur illis. Nam et praesens tempus in nostra potestate est, futurum autem non solum propter impedimenta, quae ab aliis obiiciuntur interdum, sed etiam propter virium fragilitatem vitaeque breuitatem incertum, et animus non semper aequè cupidus erit discendi cogitandique.*

In primis matutina diei tempora, quibus maxillaris et ad meditationem cogitationemque propensus est animus, vel quod ciborum onere corpus vacat, vel quod vires per somnum recreatae, necdum curis negotiisque diurnis excitati sunt vehementiores animi motus, studiis impendant Musarum cultores. Tum vero eam negotiorum partem, quae maximum requirit virium intentionem, nec patitur moram, absoluant, ut, quum remissior factus sit animus, vel otio relaxare liceat eundem, vel studiorum vicissitudine exhilarare.

CAP. V.

DE OFFICIIS, QVAE ALIIS PRAESTARE DEBEMVS;

A) QVATENVS HVMANITATIS INDOLE PRAEDITI SVNT. **

§. LXXXIX.

Nihil est in rerum natura humanitatis indole praestantius, nihil reuerentia et caritate dignius.

* "Etiamsi multum superesset aetatis, parce iam dispensandum esset. Nunc quae dementia est, superuacua discere in tanta temporis egestate?" Sen. Ep. XLVIII. Cf. Ep. CXVII.

** Rectissime duobus capitibus absolui posse alterum hoc officiorum genus mihi persuadeo. Nam quaecunque aliis praestantur

nus. * Nam sine ratione, quae a reliquis animantibus maxime homines distinguit, nunquam
 possit

praestanda sunt, vel propterea nobis faciendam iniunguntur, quod vniuersi hominum generis societatem (cuius principia Tullius exposuit L. I. C. XVI, et XLIV.) nobiscum constituunt illi, vel quod arctiori propinquitatis, amicitiae, patrocinii, ciuitatis vinculo nobis coniuncti sunt. Primo igitur capite complectar ea, quae hominibus omnino, altero, quae singulis debemus. Cur autem hic non sequar Regiomontanum, facile intelligent, qui Viri Illustris doctrinam virtutis cum animi attentione legerunt. Manca enim haec esse videtur tam in singulis locis, quam in generali officiorum distributione. Exempla in promptu sunt.

I. Primum, quae amoris officia (Liebespflichten) vocat (p. 123.) non satis distincta sunt ab iis, quae (p. 139.) obseruantiae seu reuerentiae munia nuncupavit. V. c. beneficentiae munus, quod amoris officium esse dixit, eodem iure ad alterum genus referri potest; quod vberius demonstrabo libello singulari.

II. Non bene conueniunt, quae p. 119. scripta legimus, cum iis, quae subiunxit §. 28. p. 121. Illic enim dicit, eos, qui amoris officiis fungantur, aliorum hominum fines tanquam suos ipsorum suspicere, cum tamen altero loco addat, eosdem minimam humanae salutis curam gerere.

III. Nec etiam, cur aliis plus debeatur quam aliis, siue cur gradus officiorum constituendi sint, distincte expositum est. p. 122.

IV. Si beneuolentia est gaudium ex aliorum felicitate perceptum (quod ipse dicit p. 123.) quomodo cogitari potest officium beneuolentiae (p. 118.) cum fieri nequeat, vt ad gaudium percipiendum obligemur, secundum ipsius auctoris sententiam p. 118. ? —

Igitur

posset existere virtus; huic vero tanta inest dignitas, ut cum nullo rerum externarum pretio queat comparari.*

§. XC.

Igitur non esset sibi ipse consentaneus V. I., nisi omnem istam distinctionem reiciendam esse concederet, propterea quod amoris sensum officiis adnumerandum esse negat, isthaec autem benevolentia (practica quam vocat p. 118.), nihil differt ab observantia humanitati praestanda. Dicat forsitan aliquis Kantianorum: "Aliud est, salutem hominum, tanquam suam, curare, dummodo non ea sibi prodesse putent, quae repugnant honestati; — aliud, non obesse hominum felicitati, siue finibus bonis, quos consequi student, haud repugnare. Illud est amare, hoc reuereri homines. Quod probe distinxit scholae nostrae conditor, et *cebras* *de Pa* p. 119. — Ex hoc autem quaerimus, cur iis etiam, quibus inuisum est odioque dignum videtur mortalium genus, praecipi possit, ut aliorum saluti, tanquam suae, consulant. Equidem, quum ad amandum nemo obligari possit, nequidquam interesse video inter charitatem istam, de qua Kantius loquitur p. 120., et observantiam alijs praestandam. Non enim de factis, quibus exeritur ista charitas, sed de obligandi ratione hic disputamus, quae una eademque est, siue de iustitia, siue de beneficentiae muneribus loquamur. Qui nempe ad beneficentiam, hoc est ad procurandam hominum salutem obligari potest, eodem inre obstringitur ad seruandas iustitiae leges. Beneficus in vniuersam hominum societatem nemo esse potest, nisi qui simul sit iustus. Contra iustitiam seruare poteramus, etsi non simus beneuolentes. — Plura hac de re alio loco disputaturi sumus. Nam quae de grato animo (siue, ut ita dicam) de gratitudine disseruit Kantius, a veritate quam maxime abhorrere, et ipsius Viri dogmatibus contraria esse putamus. Haec autem sufficiant hoc loco.

* Cf. Cicero de Leg. lib. I. c. 7. ubi inter alia: quid esse inquit, non dicam in homine, sed in omni coelo atque terra,

§. XC.

Homines igitur omnes, cuiuscunque sint gentis, nationis, linguae, ne barbaris quidem incultisque populis exceptis, ea quam supra descripsi, benevolentiae charitate profsequi, et duplicem eorum finem, quorum alter a natura, a ratione alter praescriptus est, tanquam si noster ipsorum esset, suspicere debemus. **

Ad eosdem enim fines, qui nobis propositi sunt, reliquos etiam homines creatos esse, iam ex eo, quod ratione et sensibus, aequae ac nos ipsi, gaudent, intelligitur. Quum autem, si in exquirendo officio rationem, neglecta lubricitate, ducem sequimur, velle nequeamus, ut ad duplicem illum finem (perfectionem et felicitatem) nos tantum perueniamus, reliqui, cum iidem sint homines, non perueniant; porro cum noster ipsorum finis ne obtineri quidem possit, nisi alios etiam excolere beatiioresque reddere studeamus: nemo dubitabit, quin aliorum cultura et felicitas nobis cordi esse debeat.

§. XCI.

Natura ipsa, quantopere salutis nostrae seruiat officiorum communitas, vehementi cum aliis viuendi desiderio, quo compellimur ad ineundam cum

terra, ratione diuinius." Et cap. 8. "Propter ingeneratam homini a Deo rationem est aliqua ei cum Deo similitudo, cognatio, societas" etc.

* Vid. Kant. Fund. metaph. mor. p. 64. sq. Cic. II. de Fin. C. 13. Senec. Ep. 76.

** Matth. XXII, 39. Röm. XIII, 8-10.

cum aliis societatem, antequam satis iudicare possumus, quanta ex hominum consociatione emolumenta capturi simus, luculenter significauit. *

§. XCII.

Verum, qui solo instinctu et impetu quodam animi ad opem aliis ferendam commouetur, facile eo deferri solet, vt, dum in alios sit beneficus, aliis adferat detrimentum vel perniciem. Ratione igitur moderanda est isthaec beneuolentia, qua quidem nihil esse potest naturae hominis accommodatius. ** Quomodo enim, qui iustitiam laederet, beneuolentis nomen posset mereri?

§. XCIII.

Qui omne hominum genus amore, seu potius charitate, complectitur:

- a) Non modo nemini inferet iniuriam, sed beneficiis etiam alios obstringere studebit, idque

* Adsentior enim Tullio, qui homines non propter vitae necessitates et emolumentorum, quae societas habitura sit, computationem, sed natura et instinctu quodam, apium instar, congregatos esse docet lib. I. de Off. Cap. 44. §. 7. et 10-12.; Quamuis commodorum, quae inde percipiuntur, fructus arctiori postea vinculo homines coniungat, vt itidem verum sit, quod ab auctore laudato scriptum legimus in Imo de Offic. libro C. IV. §. 4. vbi eandem naturam vi rationis hominem homini conciliare adfirmat.

** Cic. Off. Lib. I. c. 7. Gellerts zweite moralische Vorlesung. Abt vom Verdienste S. 110. Humii Miscellanea III. Cap. 2. p. 11. Rom. XIII, 7. et 10. 1 Petr. IV, 10. 1 Petr. III, 2. Ebr. XIII, 16. 1 Cor. XIII, 5. 6.

que non propterea tantum, ut ab iis, quos sibi deuinxerit, iterum remunerationis loco, adiuuetur in simili causa, sed gratuito * etiam faciet.

b) Non familiaribus tantum, vel amicis atque propinquis, vel ciuibus, vel vnius ecclesiae confortibus, sed hominibus omnino benefacere cupit; **

c) Nec etiam verbis tantum et suspiriis, sed opera et labore, vbicunque datur oportunitas, hanc suam charitatem declarat. (1 Ioh. III, 18.)

Sunt, qui certis temporibus, cum vel animus curis, moerore, tristitia vacat, vel opus aliquod susceptum feliciter absolutum est, promte et alacriter aliis feruiant; vbi aduer-

* "Si enim ipse tacitus dicas, inquit Seneca: hoc dabo, hoc recipiam, auctio est. Qui beneficium, ut reciperet, dedit, non dedit. "Humile est prodesse quia expedit. Vid. Benef. IV, 3. 14. Et alio loco: Si utilitas me et sordida computatio liberalem facit; si nulli profum, nisi ut inuicem ille mihi profit: non dabo beneficium proficiscenti in diuersas et longinquas regiones etc. lb. Cap. XI. Cf. Cap. XXV. vbi gratuita recenset Deorum beneficia.

** Gal. VI, 10. Huc pertinet sapientissimi Senecae, quem ego omnibus prisca aevi morum doctoribus praefendum esse duco, diuinum praeceptum: "Vbicunque, inquit, homo est, ibi beneficio locus est. — Non lucrum ex beneficio captabo, non voluptatem, non gloriam. In hoc dabo, ut, quod oportet, faciam etc. Benef. IV. C. 10. 11. Non autem debuisset dicere C. XXIII. (Vir bonus) donabit aut bonis, aut iis quos facere poterit bonos.

aduersa accidere, nec quidquam conferre velint ad aliorum salutem. Inueniuntur alii, qui in conspectu multorum, gloriolae adquirendae gratia, promptissimi sint ad benefaciendum. Neque hi neque illi beneuolorum laudem merentur. Vera enim beneuolentia non modo constans est, sed ibi etiam prod est hominibus, vbi neminem habet testem.

d) Non multis precibus ab iis, qui vel auxilio, vel opera consilioque egent, fatigari se patitur, sed lubens comiterque opem laturus accurrit; * nec in rebus grauissimis tantum, sed in paruis etiam, liberalem, affabilem, comemque se praebet.

e) Maximus autem eius amoris splendor in eo cernitur, si priuata commoda, pecuniam, honores, vitae necessitates, ipsamque adeo vitam, non pro patria solum, sed pro hominum omnino salute profundere non dubitamus. **

Adhi-

* 2 Cor. IX, 7. . . Ἰλαρόν γὰρ δεῖσθαι ἀγαπᾶ ὁ Θεός. Cf. Gal. V, 22. Prouerb. Salom. XII, 25. Col. III, 12. Cic II, 14. Nam omnis benignitas properat: et proprium est libenter facientis — cito facere. Qui tarde dedit — non ex animo fecit. Tarde velle nolentis est." Senec. II. Benef. c. 5. — Recte P. Syrus: Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter." v 359. Cf. Mart. VI. Ep. 30. Et Plaut. in Poenulo: "Ita me Dii ament, tardo amico nihil est quidquam iniquius."

** Eo non dum peruenisse videntur veteres, vt vel peregrinorum hominum causa mortem oppetendam esse censerent,

Adhibendae autem sunt in hoc genere cautiones. Primum enim videndum erit, ne frustra et temere, vbi vel nullum, vel maxime incertum et leue commodum sperare licet, vitam profundamus. * Deinde ne interitus noster maius reipublicae damnum, quam emolumentum adferat. Respiciendum igitur erit ad loca, et tempora, ne quid fiat inconulto.

f) Denique iure suo cum aequitate semper utetur. Verissimum enim est, quod dicitur in prouerbio: summum ius esse summam interdum iniuriam.

Quatenus differt patriae amor ab eo, quem nunc definire studuimus, amore?

§. XCIV.

Excitandus est hic amor, vbi vel perfidorum hominum odio, vel partium studio deminutum et fere extinctum eum esse sentimus. Idque hoc maxime modo fieri potest:

a) Si praestantissimam hominis indolem et honorum virorum exempla saepissime ab oculis

rent, quamuis publicae vtilitatis gratia vitam contemni debere existimabant. Plurima igitur inuenies exempla eorum, qui pro patria vitam profundere parati essent, quorum plerique tamen gloria ducti esse videntur: at paucissimos videbis hominum omnino salutem tanti aestimasse, vt pro hac etiam mori non recusarent. Vid. Engelandi Untersuchung über die Sittenlehre der Alten, Cap. II. von der Vaterlandsiebe der Alten etc. Cf. Hirschfeldi Betrachtungen über die heroische Tugend. Cic. I, 24. Liu. IX, 4.

* Cf. Cic. I, 24. 3. 4.

los ponimus, diligenterque contemplamur. Quo fit, ut et humanitatis reuerentia et hominum fiducia incrementum capiat.

b) Si commodis aliorum, quam saepissime fieri potest, inferuire studemus. Quo plura enim in aliquem beneficia contulimus, eo maiorem sentimus ex benefaciendo voluptatem. Fit etiam interdum, ut eos amare incipiamus, qui beneficiis nobis sunt deuincti.*

c) Si nimiam de nobis ipsis existimationem, et aliorum contemptum euitamus; lucri vero, honorum, gloriae cupidinem reprimimus. Denique

d) si diuinorum beneficiorum, quibus gratuito quotidie fruimur, semper sumus memores,** omnemque hominum societatem pro summi Dei familia habemus, siue pro corpore, cuius et ipsi membra sumus.*** Maximam profecto vim habet haec persuasio ad excitandum augendumque fraternum illum amorem, quem sexcentis in locis commendant biblia sacra.

§. XCV.

Amari plerumque dicuntur, qui vel corporis habitu externo, venustate, formositate, vel

* "Wer die Pflicht des Wohlthuns oft ausübt, und wem es gelingt mit seiner wohlthätigen Absicht, kommt endlich wohl gar dahin, den, welchem er wohlgethan hat, wirklich zu lieben." Kant. Introd. in doct. virt. p. 40.

** Matth. V, 44.

*** *Εἰς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὃ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ἑαυτῶν.* Eph. IV, 6. cf. Acta Apost. XVII, 26. 1 Cor. XII, 26.

morum elegantia, comitate sermonis, liberalitate, vel etiam antiqua et incorrupta fide ita se nobis commendant, ut iis benefacere cupiamus, etiam si officium non postulet. At quotusquisque est, qui ita sit moratus, ut suis moribus nos ad benefaciendum alliciat. Tam alte insita est humanis pectoribus peccandi cupido, tantaque plurimorum hominum, etiam si speciem honestatis prae se ferant, perfidia, simulatio atque dissimulatio; tam late extensum auaritia cupiditatumque imperium, ut non admodum amabile videatur mortalium genus.* Quod si nihilominus recte praecipitur, ut in omnes finis beneuoli, et barbaros etiam diligamus: quomodo intelligi velimus, facile colligent sapientes. Nam ne inimici quidem et hostes ex eorum numero, quos charitate complecti debemus, excipiuntur, quod infra vberius exponam. Itaque, si displicent nobis inimici, amari autem dicuntur, qui placent, nemo sanus illos etiam amandos esse diceret, nisi in factis potius, quam in adfectu, charitas ista cerneretur.

Quae-

* Verissima et nostris temporibus est Mosis sententia Lib. I. Cap. VIII, 21. cf. Rom. III, 23. Lectu dignus est etiam Kantii tractatus Ueber das radicale Böse. Cf. Ei. Introd. in doctr. virt. p. 40.

"Mores mali, quasi herba irrigua

Suctreuerunt vberissime, neque quidquam hic vile
nunc est,

Nisi mores mali, eorum licet iam messem metere
maximam."

Plaut. in Tript.

—————

Quaestiones.

- 1) Cur amari a nobis dicuntur ii, quos propter innatam humanitatis indolem, etiam si nobis displiceant, beneficentia nostra dignamur? — Num quaedam est inter homines etiam beneficis et amantes similitudo?
- 2) Num virtuti locus esset in beneficentia, si ingratos etiam, inimicos atque scelestos homines tam vehementer amaremus, ut in ipsis beneficiis voluptas quaereretur? — Meminerint lectores, quam vim habeat virtutis vocabulum.
- 3) Cur nemo fanus praecipiet, ut amore in aliquem adficiamur?

§. XCVI.

Hominum amicus (*Φιλανθρωπος*) vocatur, qui salute ac felicitate aliorum, cuiuscunque hi generis sint, delectatur. Recedunt autem ab officio humanitati praestando, qui vel gaudent aliorum malis atque doloribus (*μισανθρωποι* et crueles); vel nihil sua putant interesse vtrum bene sit aliis, an male; vel fugiunt hominum societatem sibi ingratis, vitamque degunt solitariam (*ανθρωποφοβοι*).^{*} Ad primam classem referendi sunt etiam ii, qui nullam fidem, nihil boni, hominibus inesse sibi persuadent, omneque contemnunt mortalium genus.

§. XCVII.

- * Accurate tria haec hominum peruerforum genera distinguit Kantius in doctr. virt. p. 120. Secundum genus *Solipfistas*, voce prorsus inaudita, adpellat.

§. XCVII.

Saepeffime incidunt tempora, cum ii, (quibuscum vivimus, aut consiliis nostris repugnant, aut verbis factisque nobis, vel praesentibus vel absentibus, iniuriam inferunt, aut denique morum inhumanitate nos offendunt. Huius generis homines inimicos adpellare solemus. * Fieri autem nequit, vt eorum memoria nobis iucunda, praesentia grata sit. Quapropter, quid sibi velint morum doctores, qui inimicos ipsos amandos esse contendunt, exponam. ** Non autem praecipiant, vt in familiaritatem recipiamus eos, quos inimico erga nos animo esse deprehenderit. Nulla enim ratio cogitari potest, quam ob nostram ipsorum salutem in discrimen adducere debeamus. — Nec etiam deserere officium putant ab iis, qui inimicorum iniurias propellant, suaque iura

* Quos probe distinguit ab hostibus Cic. L. I. de Off. C. XII, 1. 3. 5.

** Iustitiam et aequitatem aduersus inimicos etiam seruari debere, ex iisque vtilitatem capi posse, imo amicos faciendos esse, veteres philosophi probe cognouerunt. Vid. Plutarchus de capienda ex hostibus vtilitate. — Diog. Laërtius Pittacum ita loquentem inducit: "Amico noli maledicere, ac ne inimico quidem. Segm. 78. Idem: "Pythagoras, inquit, dicebat, sic viuendum esse, vt non ex amicis inimicos, verum ex inimicis amicos faciamus." Segm. 13. Christianae autem doctrinae praesantia, sicut in aliis multis, ita in hoc etiam cernitur, quod inimicis benefaciendum esse, idque gratis, saepeffime docet. Vid. memorabile dictum Luc. VI, 35. Ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καὶ ἀγαθοπράξτε, καὶ δοσεύσεται ὑμῖν ἀγαπήσοντας. cf. Matth. V, 44.

fortiter defendunt, * etiam si hoc fiat cum aduer-
sarijorum detrimento. ** Quamuis enim pati in-
iuriam fatius est, quam facere: ignaui tamen
abiectique hominis foret, aliorum arbitrio totum
se dare, et, ferri instar, iniustorum petulantiam
ferre; quò fieri solet, ut in dies audacior eua-
dat. — Verum inimicis etiam, ubicunque li-
cet, benefacere; veniam, non petentibus tan-
tum, sed etiam ultro, dare, dataque venia non
amplius meminisse iniuriarum, nec simultatem
in pectore inclusam retinere; in victos iure suo
cum aequitate uti, et in gravissima simultatis acer-
bitate non tantum vehementem dulcemque vici-
scendi cupidinem reprimere, sed etiam detrecta-
tione abstinere et contumelia, magnanimorum
est. ***

Quae-

* Non a nobis ipsis tantum, sed ab aliis etiam, iniuriam
propulsandam esse, docet Tullius in Off. l. 1. c. 7. ubi
iniustos adeo dicit fore eos, qui alios non defenderent,
si possent, ab iniuria."

** Socrates quidem apud Platonem in Critone §. 10. p. 126.
ed. Fisch.: 'Ουτε, inquit, ἀνταδικειν δεi, ουτε κακως
ποιειν ουδελι ἀνδρωπων, ουδ' ἐν ἑταρων πασχη ὑπ' αὐτων."
Num autem hoc repugnat sententiae nostrae? Num
ἀδικειν τινα dici poterit, qui propulset iniuriam? Ma-
le autem facere (κακως ποιειν), siquidem cogimur, ut
ipsi simus securi, non est ἀδικειν.

*** Quid de officiis iuimico praestandis Cicero docuerit V.
L. I. de Off. Cap. XI. Quatenus autem iustus sit vici-
scendi et puniendi modus ab eodem definitus, iudicent
lectores. Praeclare Seneca lib. II. de ira C. XXXII.
et III, 5. "Beneficia, inquit, beneficiis repensare ho-
nestum est: non autem iniurias iniuriis. Illic vinci
turpe est: hic vincere etc. Iuuenal. Satyr. XIII, 189.:

Quippe

Quaeratur, quid faciendum sit iis, qui bello suam aliorumque salutem defendere coguntur; quando finire debeat pugna; quales in victos esse debeant. * Numa omnino licita sint bella, et quando, alia est quaestio.

§. XCVIII.

Quo promptior sit ad reconciliandum animus, cogites

- a) te ipsum forsitan vel inimicitiae fuisse auctorem, vel alimentum ac fomitem odio praeuisse;
- b) similitates nullam nec iis, qui intulerint iniuriam, neque iis, qui acceperint, utilitatem praebere; his certe perexiguam.
- c) Inimicorum mores vel iam emendatos esse, vel corrigi posse. **

Num

— — Quippe minuti

Semper, et infirmi est animi exiguique voluptas
Vltio. —

Memorable est Catonis maioris exemplum, qui, Plutarcho teste, omnibus noxis veniam dare se dicebat, praeterquam suis. Cf. Lilius XXX, 42. Sallust. Catil. c. IX. et Liu. XL, 46. vbi vulgatum illud apud Veteres prouerbum memoratur "Amicitias immortales, inimicitias mortales esse debere. Eph. IV, 32. V, 2. Ioh. III, 15.

* Vid. Cic. Cap. XI. Garu. p. 115.

** Cf. Arriani dissert. Epicteteas L. I. Diff. XVIII. et XXVIII. Quaedam praecipua ad reconciliandam gratiam pertinentia tradit Socrates Chaerecrati Chaerephonem odio habenti, Memor. Xenoph. lib. II, C. III, §. II. sq.

Num vero etiam magni momenti est ad reconciliationem argumentum eorum, qui Deum ipsum dicunt et benefacere inimicis, et ignoscere aduersariis suis? * — Leuissima sine dubio videbitur eorum sententia, qui Deum nobis per inimicos benefacere velle contendunt.

§. XCIX.

Vt inimicitias, tam nobis quam aliis molestas, euitemus, haec fere sunt obseruanda:

- a) Ne minima quidem, si fieri potest, iniuria, ne verbo quidem et vultu, dummodo per honestatis leges liceat, alii offendantur. **

Inprimis vitanda sunt conuicia, detrectatio, absentium vituperatio, gaudium ex malis alienis. Quare si in circulo colloquentium nondum e sermonibus eorum, qui vna tecum adsunt, cognouisti, quomodo hi affecti sint erga absentem; vtrum familiaritate, vel etiam propinquitate sint eidem coniuncti, ne veram quidem vituperationem, nisi urgente necessitate, licitam Tibi esse putes. Iustitiam vero in ipsis reprehensionibus seruandam esse ne obliuiscaris.

- b) Non etiam fingendi sunt inimici. Vbi enim orta est suspicio, et falsa de aliorum inimi-

* Matth. V, 44. 45. 48.

** Hoc certe modo Pomponius Atticus omnes euitauit inimicitias. "Neque enim laedebat quemquam, neque, si quam iniuriam acceperat, non malebat vlcisci, quam obliuisci." Vid. Nep. in Attic. C. XI.

inoposca voluntate persuasio, facile perducimur
 multoq; ut, ne ipsi primum offendamur, aliis in-
 feramus iniuriam, ex quo inimicitia vel nobis
 inuitis existit.

Huius erroris causa, siquidem priuati homines
 in eum incidunt, vel in aegritudine, quae a cor-
 pore transit ad animum, vel in superbia, nimia-
 que de suis virtutibus opinione, vel etiam de lo-
 ci, quem quisque in ciuitate tenet, excellentia
 opinata magis quam vera, quaerendae sunt. *

Quaestiones:

- I. Quando inimicitias suscipere non recusabit
 vir honestus?
- II. Quaenam ex inimicis capienda erit utilitas?
- III. ** Num propter hanc ipsam utilitatem ini-
 micitias quaerere fas est?
- IV. Cuius generis fuerunt illae Romanorum
 inimicitiae, in quibus suscipiendis domo al-
 ter alterum interdicebat? ***

§. C.

Illius, quam supra definire studuimus, be-
 neuolentiae, qua omne hominum genus ample-
 cti

* Fufius explicuit eas Garuius V. C. in adnot. ad Cic. L. I.
 p. 273-76.

** "Ab inimico notatus alicui crimine, illud, si verum est,
 maiore studio expurgare debes, quam commonstratam
 aliquam vestis tuae maculam. Si falsum, quaerenda
 tamen est causa, quae criminationi occasionem dederit,
 cauendumque, ne deinceps committas aliquid aut affine,
 aut simile eius, quod obiectum fuit." Plutarch. ex
 Verf. tract. de cap. ex inimicis utilitate.

*** Vid. Garu. L. C. 245-248.

cti debemus, tam late patet notio, vt multifariam et innumeris modis exeri possit. Nam vel in absentes (sive mortui sint, sive in peregrinis terris vivant, sive nondum omnino ingressi sint vitam) vel in praesentes; vel in eos, qui miseris vexantur,* vel in feliciores; sive amico erga nos animo sint, sive inimico; ** nunc verbis, consolatione, exhortationibus, suadendo, monendo docendoque,*** nunc factis, operam dando, muneribus tribuendis similibusque benevolentiam declaramus, † Hinc variis etiam nominibus isthaec benevolentia significatur, †† Est enim vel beneficentiae, liberalitatis, munificentiae, vel comitatis, affabilitatis, clementiae, lenitatis, ††† vel denique *ἐχθροφιλίας* nomine insignis. Cernitur etiam in pacis^(a), aequabilitatis, concordiae studio, in commiseratione, placabilitate gaudioque ex aliorum felicitate percepto. Euitat homo benevolens invidiam, livorem, crudelitatem hisque cognata vitia. §. Cl.

* Iac. I, 27. Ef. 58. 7. 8.

** Luc. VI, 35. . . Δανείζετε μηδεν ἀπαλοκίζοντες. —

*** 1 Petr. IV, 10.

† Ib. III, 8.

†† Gal. V, 22.

††† Tit. III, 2. 3. "Μηδεν βλασφημειν, ἀμαχου εἰ-
ναι, ἐπιεικεσει, πασαν δεικνυμενου πρακτητα προς
παντας ανθρωπους."

(a) Eph. IV, 1-3. . . "Σπουδαζοντες τηρειν την ενωτητα του
πνευματος εν τω συνδεσμω της ειρηνης." Cf. Rom. XII,
18. "Ει δυνατον το εξ υμων, μετα παντων ανθρω-
πων ειρηνευοντες. Ex hisce et innumeris bibllorum lo-
cis patebit, a Christianae doctrinae propagatoribus mu-
tuam istam, non singulorum, sed omnium, hominum
charitatem praeceptam esse.

§. CI. Nihil enim
 Nihil igitur coarctaret benevolentiae, seu
 charitatis, notionem, qui non nisi muneribus
 dandis, pecuniamque siue stipem impartiendo
 eam significari posse sibi persuaderet. Nam vel
 pauperissimis non desunt tempora et opportunita-
 tes, quibus suam in hominum genus benevolam
 mentem possint declarare. Ipsi iuvenes, quam-
 vis parentum sumptibus nutriantur, * multum con-
 ferre possunt ad aliorum salutem. Discendi cu-
 pidis commilitonibus in difficili negotio luben-
 ter adesse, pauperibus librorum supellectilem sup-
 peditare, infirmos timidosque a petulantium in-
 iuria defendere, exemplo monitisque corrigere
 peccantem, errores aliorum leniter emendare —
 haec et similia benevolentiae argumenta in scho-
 lis etiam poterunt exhiberi.

§. CII.

Quamvis autem beneficorum etiam nomen
 merentur, qui his et similibus modis alios adiu-
 vare student, idque gratis lubentesque faciunt,
 tamen eos prae ceteris (κατ' ἐξοχήν) beneficos
 praedicari audimus, qui bonorum suorum, siue
 facultatum, partem egentibus tribuunt, quos
 ipsos munificos etiam, et liberales interdum ad-
 pellant. **

§. CIII.

* Demonstrabunt hoc in loco praeceptores, quibus iuvenum
 emendatio cordi est, multiplices modos, quibus aliis iam
 in tenera aetate prodesse possit studiosa iuventus.

** Liberalitatis notionem latius patere non ignorant latinae
 linguae periti. Cf. Valer. Max. L. IV. C. 8. ubi Gil-
 liae

§. CIII.

Verum, si quo alio in genere virtutis, in hoc certe inultae adhibendae sunt cautiones. Quas quum distincte docuerit Tullius (L. I. de Off. c. 14.) huius philosophi verbis liceat nostram sententiam declarare:

"Videndum est, inquit

primum ne obfit benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri et ceteris;

deinde, ne maior benignitas sit, quam facultates;

tum, ut pro dignitate cuique tribuatur.

Id enim est iustitiae fundamentum, ad quam haec referenda sunt omnia. Nihil est enim liberale, quod non idem sit iustum."*

Ob-

liae Agrigentini, cuius domus munificentiae officina credebatur, liberalitatem praedicavit. Quantis laudibus eam virtutem exornare consueverint Veteres, non fugiet Ciceronis, Nepotis, Plutarchi, Suetonii, Aelianii lectores. "Quae est, inquit Tullius (Tusc. I, 14.) melior in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines iuandos, tutandos, conservandos arbitrantur?" Idemque: "gratissima est liberalitas: eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusque bonitas commune perfrui est omnium. Nihil est enim tam populare, quam bonitas. Cf. Nep. et Plut. in Cimone; Iust. I, 15. Sueton in Tito C. 8. 10. 11. Ael. II. I. L. I. 30.

- * Plures ibid. praeceptas in benefaciendo cautiones, eas praefertim, quas habeat delectus dignitatis, diligenter examinent lectores, e. g. utrum in hoc delectu spectanda sint officia ad nostras utilitates ante collata, ut dignior beneficiis videri possit, qui nobis antea benefecerit. —

Obeffe autem potest benignitas iis, in quos conferuntur beneficia, cum vel maiores natu ac prudentiores (v. c. parentes, tutores, educatores) imprudentibus, et homines omnino hominibus ea tribuunt atque concedunt, quae corpori aut animo adferunt damnum; vel quam largitionibus ignavia, desidia, luxuries etc. aluntur. —

Non igitur cuius mendico, stipem petenti, sine ullo dignitatis delectu, nisi forte mutilatum eius vel aegrum corpus laboris prorsus impatiens fit, dona tribuenda erunt. — Optime consulere videntur pauperibus, pupillis atque aegrotis, qui officinas, orphanotophea et nosocomia non aedificanda solum curant, sed aptissimis etiam adminiculis, instrumentis, medicaminibus instructa viro- rum fidelium et artis peritorum curae commendant. Contra qui otiosae turbae, vel prodigorum hominum segnitiam ac luxuriam sustentat, in eum valet praeclarum Ennii dictum, qui "benefacta male locata male facta" arbitrabatur.* — Aliis eripere, quod dono detur aliis, etiamsi pauperrimi sint, aequè vituperandum est, ac pecuniam largiri, antequam debitum solueris creditoribus. — Quibus autem limitibus contineri debeat beneficentia, ne modum excedat, pro cuiusque facultatibus erit definiendum.

Quaestiones:

- I. Vtrum et quando recte faceret, qui omnia sua pro salute aliorum profundens in paupertatem ipse delaberetur? ** II.

* Bonis autem, quod bene fit, haud perit. Plaut. in Pers.

** Vid. Kant. Doctr. Virtut. p. 125.

II. Num eorum, in quos beneficia conferre volumus, dignitas recte semper iudicari poterit? — Quid erit considerandum in delectu dignitatis? — Nonne autem nefas interdum est, priusquam beneficias, dignitatem egentis addubitare? *

III. Nonne maioris facienda est viventium benignitas, qui sibi nonnihil detrahunt, quo aliorum subleuent miseras, quam morientium, qui pauperes heredes instituunt? **

IV. Num ex magnitudine munerum collocatorum aestimanda erit beneficentia? ***

§. CIV.

Quod autem supra diximus, alterum etiam humanitatis finem, qui arctissime cohaeret cum altero, perfectionem aliorum, siue, quod idem est, morum emendationem, ingeniorumque culturam, nobis cordi esse debere, cum nemo tamen obligari possit ad ea, quae ipse nequit praestare: † nemo sanus ita intelliget, vt alio-

* Quid respondit olim Christus discipulis suis, quum hominem miserum, qui viri diuini auxilium efflagitabat, vel parentum, vel sua, culpa infelicem esse arbitrarentur?

** Ct. Kant. l. c.

*** Vid. quae supra differuimus de bona voluntate §. IX. p. 14. Huc pertinet memorabile Senecae dictum, qui L. I. de benef. c. 6.: Beneficium, inquit, non in eo, quod fit, aut datur consistet, sed in ipso dantis aut facientis animo. — "Animus est enim (C. 7. 8.), qui beneficiis dat pretium. Itaque nunquam magis nos obligat, qui dedit parua magnifice, et exiguum tribuit, sed libenter. 2 Cor. IX. 7.

† Vid. quae hac de re scripta sunt §. XLIV. p. 38. not.

aliorum vitia corrigere iubeamur. Nam qui se ipsi emendare nolunt, ab aliis profecto nunquam emendabuntur, nec, si virtus aliorum a nostra voluntate penderet, vnquam illa posset exsistere. Denique, vt hoc insuper addam, ne sapientissimus quidem intelligeret, quando ad honestatis leges conformati essent hominum mores. Graue igitur hoc officium eo redit 1) vt culturam educationemque generis humani non impediamus, 2) omnia vero, quae iam obstant eidem, impedimenta, sedulo remoueamus; 3) hisque remotis consociata virium intentione, consiliis, praecipis, exemplis, et diligenti munerum demandatorum administratione ingenia hominum excolamus.

§. CV.

Retardant autem atque impediunt humani generis perfectionem:

- a) primum qui vitiorum exemplis alios, teneram praesertim iuuentutem, corrumpunt.

Tanta enim est in vtramque partem vis exemplorum, * parentum inprimis, educatorum, atque

* "Quoniam dociles imitandis

Turpibus ac prauis omnes sumus." Iuu. Sat. XIV.

"Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,

Intra quae puer est. . . .

Maxima debetur puero reuerentia. Si quid

Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos.

Sed peccaturo obstitat tibi filius infans." Id, Ibid.

Conf. praestantissimus Quinctiliani locus L. I. C. 2.

"Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderent!" etc.

Quem quominus describam, vix me contineo.

que familiarium, vt et optimae institutionis fructus pereat prauorum hominum contagione, et pessimi cuiusque vitia sublata illa peste corrigantur.*

Neque minus perniciosa sunt iuuenum studiosorum exempla, in quae, tanquam in speculum, solet inspicere vulgus. Itaque hi modestiam, castitatem, probitatem, et omnes, quae in communi vita cernuntur, virtutes, propter absolutam ipsarum dignitatem, eo magis colunt, quod plebs imperita eos imitari solet, a quibus expectari fas est, vt luculenta honestatis specimina edant. — Grauiissimam quoque culpam in se admittunt adultiore, si pueros imperitos, quibuscum vel in schola, vel extra scholam viuunt, impudicis obscenisque sermonibus aut factis corrumpunt, vel etiam ad scelorum societatem inuitant. — Ipsa maiorum natu pigritia, petulantia, ruditas, etiam si ne verbo quidem corrumpant iuniores, valde nocent spectantibus. — **

E scholis igitur atque academiis, quae virtutum seminaria esse deberent, omnis est remouenda et radicitus extirpanda morum ruditas ac turpitude.

b) De-

* Non imitatione, quae sola nunquam probum reddet hominem, sed quod virtutum, quae in aliis cernuntur, dignitas ac splendor eo ducit spectantem, vt suorum officiorum conscientia perturbetur.

** Quid de huiusmodi flagitiis iudicandum sit, optime docent biblia sacra: Matth. XVIII, 6. 7. — Cf. Matth. V, 16. Hebr. X, 24. Eph. IV, 29.

b) Deinde, cum legitima libertas hominis naturae sit accommodatissima, * et artium virtutumque nutrix merito adpellari queat, vehementer repugnant hominum finibus, qui seruitutis iugo eos depresso tenent. Quibus adnumerandi etiam sunt ii ciuitatum principes ac reges, qui iustam tollunt docendi, scribendi, legendique libertatem, et omni cum exteris artificibus commercio prohibent ciues.

Quatenus differat legitima isthaec libertas a proterua licentia, ** quae, quidquid in buccam venit, temere vel proloquitur, vel in publicum proponit, coram doceatur.

c) Qui captandae principum benevolentiae gratia vel aliud priuatum commodum quaerens, vel seruili poenarum metu territus veritatem deserit, quam publice debuisset profiteri, non tantum ab officio sibi praestando recedit, sed grauissimum etiam delictum committit in vniuersam rempublicam. — Eruditorum inprimis hominum est, ea, quae ipsi rectius quam reliqui intellexerint, fortiter defendere ac latius propagare. —

d) Qui

* Quod simpliciter dicit Plautus in Captin.

”Omnes profecto liberi libentius

Sumus quam seruimus,

Et Seneca in Troad.

Durum, iniustum, graue est

Seruitia ferre.

** Lehr- und Presß-Frechheit.

- d) Qui vanis ac superstitiosis ritibus, verae honestati contrariis, decipiunt plebem, et imperitam multitudinem retinent in errore, * quo facilius vel ipsi imperare possint eidem, vel aliorum iniustitiam et fraudem celare.
- e) Denique, qui seculi vitia rident, nec, ubi possunt, leniter ac prudenter eadem corrigere student.

§. CVI.

Hominum felicitatem deminuere liuore ac inuidia nefas est. Quomodo enim, qui dolet adspectu beatorum, salutem atque culturam generis humani lubens poterit adiungere? ** Attamen cum naturali, quo quisque ducitur, felicitatis studio tam arte coniuncta est inuidia, vt fieri non possit, quin, cum alios videmus nobis feliciores, praesertim si aequa prosperitate haud indigni esse putamus, ingrato quodam sensu adficiamur. Hic autem sensus, quum ab humanitate non sit alienus, dummodo rationis imperio pareat, nequit vituperari. Sed cauendum est, ne ad morositatem, iniuriam et inhumanitatem eo duci

* Nam quid est, inquit M. Antoninus (L. III. S. 16. et IV, 33.) in quo maxime elaborare debemus? Vt mens sit iusta, oratio mendacii expers. Hoc viri boni proprium est, nihil a veritate alienum loqui, vt et nihil a iustitia alienum exsequi.

** "O dirum exitium mortalibus; nihil vnaquam Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes, Inuidiat!" Sil. It. Lib. XVII, bel. pun.

duci nos patiamur. Igitur distinguendum esse videtur inter liuorem* atque inuidentiam naturalem, quae, si indulgemus isti sensui, facillime degenerat.**

Nonne autem hic adfectus, si nimis non indulgemus eidem, aliquam vtilitatem praestare potest hominum generi?

§. CVII.

Odiosum et valde iniustum est genus eorum, qui vel merita bonorum laudi obtrectant, vel de aliorum omnino fama detrahunt,*** et calumniosa verborum factorumque interpretatione suspectos reddunt absentes. † Isti enim calumniatores

* Lectu dignus est locus Kant. p. 133. sq.

** Tacerrimis coloribus inuidiam depingere studuerunt poetae, in his Ouid. Metam. L. II, v. 760. sqq.

Et Vergilius:

"Liuor, (inquit), tabificum malis venenum

Intactis vorat ossibus medullas,

Et totum bibit artubus eruorem, — —

Testatur gemitu granes dolores:

Suspirat, gemit, incutitque dentes.

Sudat frigidus, intuens quod odit.

Effundit mala lingua virus atrum. Cf. Iac. III, 16.

*** Iac. IV, 11.

† Recte Horatius, dummodo non de amicis, sed de hominibus omnino esset locutus Sat. I. IV. v. 81. sqq.

— — "Absentem qui rodit amicum;

Qui non defendit, alio culpante; solutos

Qui captat risus hominum, famamque dicacis;

Fingere qui non visa potest: commissa tacere

Qui nequit: hic niger est: hunc Tu, Romane, caueto.

Et P. Syrus v. 174.

"Lingua est mali loquax mentis indicium malae."

Conf.

tores non a beneficentiae tantum officio, sed ab ipsa iustitia recedunt. Nam quum tanta sit bonae famae iactura, ut neque deprecationibus, nec mulctis, facile resarciri possit damnum e suspicione et amissa fide oriundum: * ne fures quidem et latrones scelerum conuicti maiorem, quam calumniantes, reipublicae perniciem adferunt. Videlicet ab illis, quum detecti sunt, erepta interdum bona vel redduntur, vel restituantur, hoc autem praedonum genus non semper compensare potest damnum illatum. Ab illis cauere sibi quisque facilius potest claustris, muris, parietibus, re-pagulis, vigilantia: linguam vero loquacem et contineri nesciam neque coercere, neque in vincula conicere poteris. Iam quum sine mutua fide ** nihil in republica sit tutum, nec saluberrimis institutis ea, quam postulant, indefessa ac diligens opera detur; haec autem fides frangatur maleuolorum calumniis: patet utrumque hu-
mani

Conf. Cic. L. I. C. 37. Quint. Maledicus, inquit, a malefico non distat, nisi occasione.

* Quod etiam adfirmat Lilius: Famae, inquit, ac fidei damna maiora sunt, quam quae aestimari possint, L. III. c. 72.

** Quam his verbis praedicat Silius It. L. II. bell. pun. 2.
"Ante Iouem generata decus diuumque hominumque.

Qua sine non tellus pacem, non aequora norunt,

Iustitiae confors, tacitumque in pectore numen."

Et Claudianus:

Haec et amicitias longo post tempore firmat,
Mansuroque adamante ligat etc.

manitatis finem negligi a leuissima obtreçatornm turba.

Quaeritur:

I. Verumne sit tritum illud prouerbiū:

De absentibus et mortuis nil nisi bene? —

An male interdum de absentibus dicere officii sit; et quando;

II. Vtrum vera etiam hominum scelera et vitia reticere debeamus; Vid. Kant. p. 146.

An maius sit damnum ex istis rumoribus emergens, quam commodum, quod praebere possint exempla vitiosorum;

Num licebit silentium tenere, cum, Te praesente, aliorum virtutes, Tibi haud incognitae, laudantur? An ipsum hoc silentium obtreçationi simile videri potest?

§. CVIII.

Aliorum errores et vitia salibus amaris adspargere, et ioco, vel intempestiuo, vel pecculanti, laedere praesentes, eos inprimis, qui aut timore occupati, aut propter loci et conditionis humilitatem non audent respondere,* aut ingenio sunt tar-

* Principes igitur atque optimates, quibus nemo facile audeat false dicta referre, caueto, ne risu et ioco offendant inferiores. Ignauis est laedere non repugnantem. ... Et "laedere nunquam velimus, longeque absit propositum illud: potius amicum,

tardiore nec ad iocandum procliui, vt nesciant referre opprobria, nefas est. Intemptius autem est iocus, cum viros, qui graui aliquo munere funguntur, coram iis, apud quos in magna debent existimatione versari, vel etiam, cum in rebus seriis sunt occupati, irridemus. Miseriam vero, paupertatem, et corporis vitia ridere proterua est petulantia. Res enim, vt Seneca inquit, sacra est miser. — Amicorum iocosa et lepida inter se confabulatio, quae vacat offensione, non incurrit in reprehensionem. — Neque tamen facta per se turpia, quae seriam poscunt castigationem, ioco notentur. Nam recte praecipit Tullius, qui: in ipso, inquit, ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat." Est autem animi leuioris indicium, iocari de iis, quae decent mortalium genus.*

Non ignorant lectores, cauillandi ac petulanter alios irridendi consuetudinem in scholis diu regnasse, et in quibusdam ita ad hunc vsque diem inneteratam esse, vt bene moratos, pudicos et a morum ruditate desuefactos iuuenes ab inhumana petulantium condiscipulorum cohorte prorsus corruptum iri, et morum elegantiam ex-

uturos
cum, quam dictum perdidit." Cic. de Orat. l. c. 59.

Huc pertinet illud Quinctiliani: Aduersus miseros inhumanus est iocus. L. VI. c. 3.

- * Laudandus est mos Persarum, quem narrat Herodotus: "Ἄσφα δὲ σφί ποιεῖν οὐκ ἔξεσι, ταῦτα ἕδε λέγειν ἔξεσι." cf. Kλ. c. 138. p. 81. ed. Borheck. Publ. Syrus: Quod facere, inquit, turpe est, dicere non honestum puta. Vid. Kant. D. V. p. 147.

turos esse putent parentes, ob eamque rem filios in scholam publicam tradere nolint. Ii praesertim, qui tironibus recens in scholam receptis iniuriam adferunt, eorumque vitia non lepidis facetiis, sed immodesto risu asperisque sermonibus perstringunt, ut timore oppressi vel prorsus stupidi fiant, vel taedio vitae scholasticae adficiantur, grauius delinquant.

Haec igitur scholarum macula, quae literarum gloriam obscurat, abstergatur.

§. CIX.

Nemo hominum tam expertus est dignitatis, quin aliquam ei, cum homo sit, reuerentiam debeamus. Quamuis enim turpissimis vitiis, nefandisque sceleribus vitam inquinauerit, humanam tamen indolem retinet, nec unquam eo delabi potest, ut de emendatione ipsius sit desperandum. Recte igitur praecipiunt, qui vllum hominem vetant contemni.* Maiore quidem reuerentia dignus est, qui colit virtutem; nec fieri potest, ut eum, qui honestatis violat leges, vlla existimatione, praeter eam, quae humanitati debetur, dignum censeamus. Haec autem ne iis quidem, quos e hominum societate propter maleficia remouemus, neganda est, sed in ipsis suppliciiis declarari debet.

Nonne

* Qualis autem hic contemptus intelligatur, docet Kant. in 1. c. p. 140. §. 39.

Nonne hominum scelestorum contemptus impedit interdum emendationem eorum?

Quaenam suppliciorum genera repugnant hominum dignitati?

Quis modus tenendus erit in reprehendis corrigendisque aliorum erroribus? *

§. CX.

Quicumque, nimia de suis virtutibus persuasione inflatus, vel vanarum rerum (diuitiarum, titulorum, honorum, imperii) splendore superbiens, ab aliis hominibus postulat, vt propriae dignitatis immemores sibi ipsi videantur sese inferiores: non modo, quod supra exposuimus, laedit officium sibi praestandum, suamque perfectionem impedit stulta fictae dignitatis arrogantia, sed iniustus etiam est ac vere ridiculus. ** Prodit simul animum abiectum, quoniam verosimile est, ipsum, si natus esset loco inferiore, humilem optimatum adfentatorem futurum fuisse. *** Et ridi-

* Hoc bene exposuit Regiomontanus p. 141. not.

** "Der Hochmuth ist eine Art von Ehrbegierde, nach welcher wir andern Menschen ansehn, sich selbst in Vergleichung mit uns gering zu schätzen." Kant. I. c.

*** Vid. I. c. p. 145. Cic.: In rebus prosperis, et ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam, fastidium, arrogantiamque magnopere fugiamus." Lib. I. de Off. c. 26. Nullam, equidem linguam noui ad significanda varia *Philodotus* genera Germanorum sermone copiosorem, qui non diuersos tantum, quos adfectamus, honores, sed diuersa quoque ambitiosorum studia distinguit. Quod enim ad illos adinet, nota sunt vocabula: Achtung
guter

ridiculus quidem propterea certe videtur, quod ad augendam de se hominum existimationem iis vititur remediis, quae non modo haud efficiunt rem exoptatam, sed contrarium eidem habent effectum. Nam quo studiosius cupit ab aliis coli, eo fortior existere solet aduersus eum coniu-ratio. Iniustitiae vero haud immerito accusamus eum, qui ab aliis, nullo iuris nomine, poscit honorem ac venerationem, quam, cum debeat, ipse vicissim iis non vult tribuere. — Iniqua haec superbia maximopere differt ab animo elato et dignitatis suae sibi conscio (vid. p. 74.), quo fit, vt petulanti aliorum contumeliae, ridentique pruritu fortiter resistamus.* Illa enim liberalis, vt ita dicam, animi elatio decet
homi-

guter Name, Hochachtung, Ehrfurcht, Ehrerbietung, Beyfall, Ruhm, Nachruhm, Lob, Werthschätzung, Verehrung etc. Studia vero φιλοδοξῶν significantur, pro diuersa rerum expetitarum natura, et vehementiae, quacum expetuntur, gradu, his fere verbis: Ehrliche, Ehrgeiz, Eitelkeit, Ruhmbegierde, Ruhmsucht, Ehr-sucht, Stolz, Hochmuth, Hoffahrt (forfan Hochfahrt), Anmaassung, Aufgeblasenheit etc.

Plerisque horum peculiaris subiecta est notio, quae coram explicetur vberius, et cum similibus aliarum linguarum distinctionibus comparetur. Quatenus e. g. differant: ambitio, ambitus, laudis ac gloriae cupido, arrogantia, ostentatio, superbia, gloriatio etc. conf. La wätz über menschliche Tugenden und Laster; et Eberhardi Synonymica, et A. Weishaupt Beyträge zur Synonymik in Niehammeri Phil. I.

* Elegans enim verissimumque est Kantii dictum: "Wer sich selbst zum Wurm macht, kann nachher nicht klagen, daß er mit Füßen getreten wird." in l. c. p. 98.

homines ingenuos, et saluberrima est vitiorum medela.

Et contrario putidam iniustamque superbiam in pluribus epistolarum suarum locis notat et disuadet Paulus. Vid. Rom. XII, 3. XII, 10. 1 Petr. V, 5. 6. 1 Cor. IV; 7. XII, 11. Et ipse Christus ad imitationem suae modestiae ac mansuetudinis exhortatur: Matth. XI, 29.

Quaestiones:

Verumne est, quod ait Cicero, "in magnitudine ac elatione animi facillime innasci nimiam principatus cupiditatem?"* Qui sit, ut haec interdum sint coniuncta?

§. CXI.

Si multorum hominum, egestate, ignominia, morbisque ad afflictorum miserandam conditionem cum nostra meliore fortuna comparamus, fieri non potest, quin aliquam ex hac comparatione laetitiam percipiamus. Quae quum sit naturalis, nec reprimi possit: (nam contraria sibi inuicem opposita magis elucescunt) non est per se vituperanda, dummodo non ex ipsis hominum miseriis, sed e iucunda nostrae felicitatis conscientia capiatur. Sed aliorum calamitatibus delectari, atque malorum segetem non modo non deminuere, verum etiam, quo Tibi ipse multis felicior videaris, augere: turpissimum est. Nam si omnes ita erga se inuicem essent adfecti, ut eos, quorum salu-

* Lib. I. de Off. Cap. XVIII. §. 6. Cf. VIII. §. 8.

salutem augere debeant, * cupiant infelices ac miseros videre: nonne mori melius esset quam viuere? Num igitur quidquam ab humani generis sine longius aberrare, aut ab officio magis potest esse alienum? Parum profecto est, neque nocere neque prodesse hominum saluti: ** quomodo autem, qui gaudet eorum miserijs, vllam inueniet culpae excusationem? —

§. CXII.

Cognata est huic malignae laetitiae vlciscendi cupido, quae cum iniuriam vel reuera accipimus, vel passi esse nobis videmur, vincitur eo difficilius, quo dulcior est vltio, quoque maiorem prae se fert iustitiae speciem. Nam, si aequi volumus in hac re iudices esse, concedamus oportet, ipsum vlciscendi desiderium aliquam
cum

* Ἄλλα κομμεινο δει σε ἐνθουμειθαι (inquit Plato ep. VIII. ad Archytam) ὅτι ἕκαστος ἡμῶν εἴχ' αὐτῷ μόνον γεγονεν etc. Vid. hic locus apud Ciceronem L. I. c. 7. ab Heusingero citatus, et conferatur cum Tullii verbis ad eum alludentibus.

** Non poenitebit lectores hunc perlegisse immortalis Senecae locum Ep. 95. "Quantulum est, inquit, ei non nocere, cui debeas prodesse? Magna felicitas est, si homo mansuetus homini est. — Omne hoc, quod vides, quod diuina atque humana conclusa sunt, (nonne Christi verba eum repetere putares?) vnum est: Membra sumus corporis magni (cf. I Cor. XII, 26. vbi eadem fere dicit Paulus). Natura nos cognatos edidit, quum ex iisdem et in eadem gigneret. — Iste versus et in pectore et in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto. — Cf. Cic. O. f. III, 5. et 6., qui ad verbum fere idem praecipit.

cum iustitia et fortitudine similitudinem habere, falsamque esse Iuuenalis sententiam, qui Sat. XIII:

Continuo, inquit, sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quam femina;

et eodem loco:

"Semper et infirmi est animi, exiguique voluptas ultio."

Quum enim fortis ac ingenuus quisque iura sua strenue defendere cupiat: mirum non est, eundem punire velle iniurias sibi illatas; ut et inimicos a similibus in posterum factis deterreat, et reliquis hominibus neminem se impune laesurum esse, commonstret.* Fallax profecto et speciosa

* Haec iustitiae species et manca civitatum constitutio, in quibus legum auctoritas nondum satis erat confirmata ad propulsandas ferocium hominum iniurias, eo perduxit veteres Orientis et Scandinaviae gentes, ut priuatam ultionem non licitam modo putarent, sed obligatos etiam se esse crederent ad se suosque vlciscendos, ut ad eo filius haeres esset paternae inimicitiae. Quod de maioribus nostris refert Tacitus C. XXI. hisce verbis: Suscipere tam inimicitias seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse est." Multa praeclare de harum inimicitiarum causis, et de veterum philosophorum sententiis ad priuatam ultionem pertinentibus, disseruit C. Garu. in Adnot. ad Cic. p. 234-47. sqq. Priuata illa Francorum, aliorumque Germaniae populorum vindicta Faïda (Fehde) adpellabatur, quod cognoui ex I. C. Dithmari commentat. ad Taciti librum de Germania p. 130. ed. Hadae, qui citat Hieron. Biguonii Not. ad Form. Marculf. L. II. C. 18. apud Baluz. T. II. p. 942., similemque docet apud Romanos obtinuisse morem ex S. consulto Silapiano, quo haeres defuncti necem vindicare tenebatur, antequam

fa est haec nocendi causa; sed nemo tamen, cui salus mortalium cordi est, (omnibus autem cordi esse debet): indulgebit pestiferae huic cupiditati. Non enim solum isthaec ad iniuriam rapit propterea, quod modum in puniendo excedere solent offensi, quodque homines diffidentiae pleni et atrabile infecti credunt interdum, se, cum reuera laesi non sint, iniuriam passos esse: sed quod punire omnino iudicum est, non ciuium priuatorum. Iam quum is, qui vlciscitur iniuriam, praesertim si modum non tenet, nouo belli incendio suggerat materiem, et si in republica bene constituta uiuit, magistratuum quoque auctoritatem ad res gerendas necessariam frangat: nunquam nec paci nec disciplinae locus esset, ubi quisque iudicis munere fungeretur. Vtraque autem ad culturam et felicitatem generis humani requiritur. Nec mihi placet illud Ciceronis, siquidem de priuata ultione accipiendum est, quod legitur

quam haereditatem adiret. Ex eodem libro et citatis ibidem operibus similium apud Graecos et Hebraeos consuetudinum notitiam hauriant lectores. Cf. Lex Hebr. Numer XXXV, 19.:

גַּאֵל הַדָּם הוּא יָמִית אֶת הַרָצֵחַ בְּפָגְעוֹ - בִּי
הוּא יִמְתְּנֵהוּ !

et Seldeni explicatio in Iure N. et Gent. iuxta discipl. Hebr. Lib. IV. I. p. 484.

Graecis quoque hanc vindictam vsitatam fuisse aliquandiu Seldenus dubitat; probare tamen studuerunt Grotius in l. Belli et Pac. et Meurs. Thom Attic. L. I, 20. — De Hebraeorum more lectu dignus est Michaelis doctissimi liber inscript.: Das Mosaische Recht, in tom., ni fallor, Ildo.

gitur in primo de Officiis libro c. XI. Rectius Plato, qui in Critone * Soeratem ita facit interrogantem: Τι δε; ἀντικακῶς ποιεῖν κακῶς πασχόντα, ὡς οἱ πολλοὶ φασί, δίκαιον, ἢ ἄδίκαιον; — Οὐδαμῶς. — Τὸ γὰρ πᾶς κακῶς ποιεῖν ἀνθρώπους, τὸ ἀδικεῖν ἔδεν διαφέρει — Οὐτὲ ἀρα ἀνταδικεῖν δεῖ, ἔτε κακῶς ποιεῖν ἔδεν ἀνθρώπων etc. ** — Ex priscis barbarorum et iuris imperitorum hominum temporibus ad nostros vsque dies in academiis remansit nefandus, iniurias priuatas duello vlciscendi, modus, qui tot patres carissimis filiis, ciuitatem tot egregiis iuuenibus orbauit. Stultum hunc et Musarum alumnis indignum morem, foedissimam seculi nostri maculam, prorsus abolendum et omnibus diris execrandum esse nemo dubitabit. Nam quid cogitari potest ineptius, quam gladio componere lites, quum ei ipsi, qui passus est iniuriam, verendum sit, ne ab inimico non modo non resarciatur damnum illatum, sed vulnus etiam sibi infligatur, imo vita eripiatur? Idque facere, non dicam in literatorum virorum, qui reliquis antecellere deberent morum elegantia, sed in hominum omnino societate, cui leges constitutae sunt, quarum tutelam expetere licet? Scio, quid responsuri sint iuuenes huius libri lectores. Tam peruersae sunt, inquit, commilitonum de bona fama notiones, vt nominis infamiam timentes non audeant resistere opinionibus praëiudicatis. — Num igitur vanam glorio-

lam

* Cf. §. 10. ed. Fischeri p. 125.

** Col. III, 13. Cf. Matth. XVIII, 21, 22. et Kant. D. V. p. 137., vbi explicatur illud bibliorum: Die Rache ist mein; ich will vergelten.

iam sanctissimis officiis anteponeere non erubescitis? * Num vitam, quae totius reipublicae commodis dicata esse debet, profundetis, seu in discrimen adducetis pro stultorum hominum errore? ** Quid? quod ignauum atque imbellem, non fortem proditis animum, si, quae vera et honestatis legibus consentanea fore ducitis, non audetis defendere et factis comprobare. *** Et si nemo primus auderet falsam vulgi opinionem factis refutare; quomodo vnquam humanitatis fines possent obtineri? —

Nonne vero etiam dedecet hominem ratione praeditum, ad propulsandam iniuriam iis remediis uti, quae robustissimum quemque gladiatorem deterrere non valent, sed prouocantem ad eo reddunt ad petulantiam in homines imbelles exercendam? † iam

* Quanto melius egit olim Qu. Fabius, Cunctatoris nomine insignis! "Non ignorabat, inquit Lilius, suam cunctationem Romae infamem esse, seque timidum pro cauto, imbellem pro perito belli haberi. At maluit, ut se hostis metueret, quam stulti ciues laudarent. L. XXII. c. 15. Cf. 39. et L. IX. c. 5. Senec. de Const. c. 19. Cic. Off. I. c. 24. §. 11.

** "Τὸ ἐπὶ τῆς τῶν πολλῶν δόξης μάλιστα; ἢ ἐπιεικισταί, ὧν μάλλον ἀξίον φροντίζειν, ἢ γήσσονται etc. Vid. Crito Plat. p. 114. 3. ed. Fisch.

*** "Vera et sapiens animi magnitudo honestum illud — in factis positum, non in gloria iudicat: principemque se esse mauit, quam videri. Etenim qui ex errore imperitiae multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus." Cic. I. 19. §. 11. 12.

Haec magni animi fortitudo est lorica illa, qua indui nos iubet Paulus.

† Huc pertinet elegans Tullii dictum: "Cum sint duo genera decertandi, vnum per disceptationem, alterum per vim

Iam quum poenarum finis sit, vt malum e ciuitate tollatur, quid potest duello, quo illud augetur, esse ineptius? *

§. XCIII.

Si veritas cuique homini sancta esse debet, naturaeque nostrae aptissima est (Cic. Off. I, 4.) nec infracta mutua fide duplex hominum finis potest obtineri; non licet, neque verbis nec factis, siue diffimulatione id fiat, siue bonitatis simulatione, fallere hominem, quan-

vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum: confugiendum est ad posterius, si vti non licet superiore." I, II, 2.

Cf. Rousseau Nouv. Heloise T. I. Lettr. 56.

- * Bene M. Antoninus L. VI. 2. 6. Optimus, inquit, iniuriam vlciscendi modus est, ne similis sis eam inferenti. Contemnit me quisquam? Ipse viderit. Ego mihi cauebo, ne quid contemtu dignum vel egisse vel dixisse deprehendar. — Odit me quisquam? Ipse viderit; at ego mitis esse et beneuolus cuique pergam etc. Cf. L. XI. c. 13.

Fatendum interim est, priscos nimios passim fuisse in extollenda miti iniuriarum patientia, quam iure vituperat Regiomontanus p. 137 l. c. Laudarunt e. g. eos, qui, cum sibi maledictum esset aliquamdiu ab hominibus maledicis, non modo ad conuicia ne verbum quidem ferrent, sed conuiciatores adeo domum reduci iuberent. Hi recessisse mihi videntur ab officio humanitati praestando. Nam si non reprimitur iniuria legitimis castigationibus, verendum est, ne aliis etiam, qui non aequae ac nos patientes sint, inferatur. Et quae debemus aliis (secundum Ciceronem L. III. Off. c. 18.) eadem nobis, vt dignitatem hominum tueamur, debemus.

quantacunque sint commoda vel nobis vel aliis inde speranda. Distinguendum est autem inter fallaciam, mendacium simulationemque, et veritatis occultationem ac taciturnitatem. Vehementer enim falluntur, qui verum cuius interroganti profitendum esse sibi persuadent; vt, si quis iratus ad me veniret, interrogaretque, vbi abdidissem profugum hominem, cui mortem minitaretur, meum esse putent, prodere latentem. Non enim omnibus competit ius veritatem a nobis exigendi. Quare ex tali quodam homine quaerem, quo iure domum meam ingressus molestiam mihi facere auderet. Contra si latrones vel homicidae iudicium vigilantiam fallere, et apud me asylum quaerere vellent, nefas esset occultare homines ciuitati noxios. — Profitenda igitur est veritas omnibus iis, qui vel iure suo postulant a nobis, vt confiteamur eandem, vel propter fidem ab honesto quouis homine seruandam expectant, vt mendacio et simulatione abtineamus.*

Ergo promissis standum, pacta seruanda esse, idque tempore iusto, vix est quod moneam.**

Quae-

- * Imitatione dignus est ex parte mos ille Persarum, quem Herodotus his verbis refert in Imo histor. C. 136.;
 "Παιδεύσει τις παῖδας, ἀπο πενταετίας ἀρχόμενοι μέχρι ἑικοσαετίας, τριχ μούνα ἱππεύειν, καὶ τοξοῦειν, καὶ ἀληθίζεσθαι."
- ** "Totius autem iniustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui tum, quum maxime fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur." Cic. Off. I, 13. Bonitatis verba imitari

Quaeritur

num liceat iis, qui publice praeceptorum, siue in templis, siue in scholis, munere funguntur, veritatem rectius a se intellectam celare, ne, si verum docuerint, seditiosi in ciuitate motus existant; et

• An licitum sit, suae salutis tuendae causa, vel dissimulare, sicut Brutus olim fecisse dicitur, vel promisso latronibus dato non satisfacere; *

utrum denique promisso standum non sit, quod, si maneremus eidem, damnum potius, quam utilitatem aliis allaturum esset. Quid faciendum putatis, antequam negetis rem promissam? Quid vero, si alter ea, quae Tibi videren-

tari maior malitia. — "Malus bonum ubi se simulat, tunc est pessimus." Pub. Syr. Cf. Pl. XXVIII, 3. Prou. S. XII, 22 Eccl. V, 3. 4.

"Et Pythius, et omnes aliud agentes, aliud simulant, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est." Cic. Off. III, 14. 15.

• "Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis."

Quid. L. II Factor.

Hic subtiliter erunt examinanda Tullii de commutatione Officiorum praecepta, quae mihi quidem valde lubrica esse videntur. Cf. L. I. C. X. Semper enim utilitatem e promissorum perfectione hauriendam magis, quam ipsius rationis legem, intuetur. E. g. cum dicit: Potest enim accidere, promissum aliquod et conuentum, ut id effici sit inutile vel ei, cui promissum sit, vel ei, qui promiserit."

derentur noxam Illi adferre, vilia sibi fore credens postularet, vt officio satisfaceres?

Quaenam erit, antequam pollicearis, et in promittendo etiam, adhibenda cautio?

§. CXIV.

Ne mortuorum quidem hominum reuerentiam negligere fas est, non propterea, quod absentibus, vti vulgo dicunt, semper habendus fit honos, sed quod nec sempiterna eius, de quo loquimur, absentia, nec turpissima eiusdem facta iustitiae laesionem excusant. Illorum igitur, si reuera digni sunt laude, vel merita detrectare, vel famam quocunque modo minuere, quamuis nullum ipsis detrimentum adfert obtrectatio, iniustum esse putamus; eoque magis, si relictæ familiae gloria calumniis obscuratur. Et haud scio, an satius sit, eorum, qui vitam sceleribus inquinaverunt, ignominiam celare posteros, quam rumoribus divulgare, nisi forte data opportunitate viuentes defunctorum tristi exemplo terrere velimus. * Deminuitur enim scelerum commemoratione humanae naturae existimatio, qua laesa munimentum iustitiae destructum esse videtur. Sanctissimam certe aequitatis legem violant, qui hominem mortuum, etsi propter maleficia capitis supplicio sit adfectus, prorsus contemnendum esse cen-

* Narretur hoc loco Aegyptiorum mos sepeliendi accusandique reges, quem retulit Diod. Sicul. L. I. et an probandus sit ille, examinetur. — Meminerint lectores religiose priscarum gentium de sepeliendis cadaveribus curae.

consent, nec ullam fouent spem, fieri potuisse vt emendaretur. Remanet profecto in quouis homine, iis forsan exceptis, qui ad insaniam insanabilem adacti sunt, indoles virtutis, qua sublata ne vituperari quidem posset. — Defunctorum vltimam voluntatem, siquidem iusta est et rationi consentanea, praesertim si facultates eorum ad exsequendam eam, sine magno liberorum vel coniugis incommodo, sufficiunt, peragere debemus. Etiam si vero repentina morte extincti, quid fieri vellent, nequiverint declarare, ea tamen negotia posteri expediant, quae ad sapientissimi cuiusque voluntatem maxime accommodata fuissent. Educandos igitur artibusque instituendos curent mortui liberos; sustentent, si non reliquit pecuniam, coniugem prolemque; si adsunt defuncti facultates, has ea, qua par est, prudentia parsimoniaque in relictorum vtilitatem conuertant, soluto scilicet aere alieno. Quod officium, quamuis vel sine respectu ad mortuum familias patrem praestandum sit orbatae domui: tamen defuncto etiam debere videtur. —

Ipsam humanae mentis domicilium (corpus) aliquo honore adficiendum putarunt cultiores cuiusque aeui gentes; idque nec dilacerandum est, nec bestiis proiciendum, nisi vel in anatomicorum vsus conuertatur, vel, propter abominanda rei ad supplicium dati crimina, ignominiae nota sit adficiendum. —

B) QVA-

B) QVATENVS NOBISCVM CONIUNCTI SVNT CIVITATIS, PROPINQVITATIS, AMICITIAE etc. VINCVLIS.

§. CXV.

Praeter infinitam illam totius generis humani societatem, cui quid debeamus iam expositum est, propiores arctioresque existunt coniunctiones eorum, qui vel sanguinis adfinitate, vel patriae communitate, confociati, vel mutuis beneficiis sibi inuicem deuincti, vel morum similitudine et amicitiae vinculo inter se colligati sunt.* Neque etiam praetereunda est eorum, quorum alter tribuit beneficia, alter accipit,** nec

* Plerosque societatis gradus in libri Imi de Off. C. XVII. demonstrauit Tullius. Et iustum in recensendis gradibus ordinem secutus esse videtur. Nam secundum infinitam illam, de qua diximus, propiorem societatem esse dicit eiusdem gentis, nationis, linguae §. 1.; interiorem eiusdem esse ciuitatis §. 2.; arctiorem vero colligationem propinquorum, ab immensa illa in exiguum angustumque conclusam, — coniugum, liberorum parentumque, fratrum, confobrincorum sobrinorumque et adfinium §. 3-6.; omnium denique praestantissimam virorum bonorum, familiaritate coniuictorum §. 7-9. Addit etiam §. 10. communitatem ex mutuis consecutam beneficiis. — Sin autem ad harum coniunctionum principia respicere velles, alium ordinem graduum constituendum esse adparet. Prima enim foret coniugum inter se et cum liberis societas; secunda fratrum etc.

** Qualis erat patronorum et clientum, quam in enumerandis societatum gradibus C. XVII. praetermisit Cicero, cuius autem alio loco (vbi de iustitia loquitur L. I. c. XI. p. 8.) facit mentionem. Cf. Heusingeri ad eum locum adnot. d. p. 91.

nec seruatorum cum dominis societas, siue nexus.*

§. CXVI.

Cuique harum societatum certus ac peculiaris finis propositus est, a duplici illo generali, communique totius humanitatis sine nequitiam alienus. Spectant enim ad hominum salutem, educationem, perfectionemque consociatis viribus efficiendam. Quum enim, vt exemplo mentem explicemus, plurium vel vnus imperium, tam propter locorum longinquitatem atque distantiam, quam ob linguarum diuersitatem, gentium repugnantiã innumerasque alias causas, ad omnes terrarum populos extendi nequeat: plures existant necesse est ciuitates, quibus pro temporum conditione et incolarum ingenio diuersae constituantur leges. Hae autem leges eo valere debent, vt ab exterorum indigenarumque iniuriis ciues defendantur, et ad sustinendos publicos sumtus necessariis opibus instruantur. Iam quum illa securitas, haeque impensae ad obtinendum humanitatis finem conducant: intelligitur, plurium ciuitatum constitutionem per se non modo reprehensione vacare, sed ad eam necessariam esse, vt nefas sit, talem cum aliis societatem repudiare.

Et bonorum virorum, quibuscum secreta animi consilia communicare possis, quos in rebus

* Paucis tantum officia seruis praestanda attigit Cic. I. 13. §. 9. Nimis enim contempti erant illi, nec cum famulis nostris ingenuis possunt comparari.

bus grauioribus consulas, et in honestatis via comites monitoresque habeas, familiaritatem quaerere non tantum licet, verum etiam ad humanitatis officia pertinet. —

§. CXVII.

Copulatiores istae hominum societates non ad vnum, sed ad vtrumque humanitatis finem referuntur. Itaque fundamentum earum esto iustitia. Nam si patriae, ciuitatis, amicorum ac propinquorum commodis seruire liceret in damnum aliorum, perniciofa hominum generi foret ista in singulos beneficentia. Magnis etenim imperiis, si lex ista valeret, minorum ciuitatum libertatem opprimendi terrasque occupandi venia daretur,* et ciuium opulentorum, amicitiae vinculo

- * Nunquam pax erit diuturna, haec vnquam ad consequendos fines a ratione descriptos munitur via per ciuitatum constitutiones, nisi ad easdem iustitiae honestatisque leges, quae singulis hominibus sanctae inuiolataeque sunt, regum etiam et ciuitatum imperia conformata fuerint. Nam si furtum committere, perfide agere, datam fidem violare, mihi nefas est; quomodo eadem licere poterunt terrarum dominis? Est autem perniciosus multorum error, ab astutis malitiosisque tyrannis excogitatus, vt, quae singulis ciuibus vetita sint, eadem regibus, imperatoribus, ciuitatum directoribus concedenda esse sibi persuadeant, et politicam artem sibi fingant, a iustitiae morumque praecipis prorsus alienam. Qui error quamdiu hominum mentes occupabit, tamdiu bellum semper in pace, in pace bellum quaerent. —

Quam difficile autem sit sanctas iustitiae leges in administranda gubernandaque republica seruare, docet
Gar.

culo coniunctorum, iniuriis omnia intusa redderentur; vt eiusmodi societates totidem essent contra hominum salutem coniurationes. — Eadem valent in reliquis arctiores hominum coniunctiones. Nemo suae tantum familiae, coniugi, liberis, adfinibus cum aliorum detrimento benefacere debebit. Bellum enim omnium existeret aduersus omnes, vbi "virtutum dominam et reginam" (Iustitiam) laedere liceret. Cf. Cic. L. III. Off. C. I. II. 9. 12. Sen. Ep. 13. Plut. Agel. T. II. p. 668. Platon. Criton. p. 117. ed. Fischeri.

§. CXVIII.

Pacto niti videntur illae societates, de quo vel tacite vel cum diferto plurium consensu conuenit. Quum autem nefas sit pacisci in fraudem aliorum, ex hoc etiam intelligitur, nullam, quae aliis damnum adferat, societatem, siue amicitiae, siue ecclesiae nomen prae se ferat, constituendam esse.

§. CXIX.

Huius generis sunt nonnullae studioforum iuuenum in academiis coniunctiones, de quibus, priusquam vltius progrediar, pauca monere liceat.

Garuius in adnott. ad Cic. p. 55. — Etsi autem difficillimum sit, debent tamen seruari, nec ridendae profecto sunt Ill. Kantii de pace aeterna meditationes; non enim, quid vel factum vel expectandum sit, sed quid ratio fieri iubeat, in morum et iuris disciplina docetur. Prodit igitur vel recti ignorantiam, vel animi quandam lenitatem, qui talia philosophorum consilia ludibrio habet.

liceat. Verendum enim est, ne adolescentes, siue iam nunc, siue olim in academijs versentur, vel imitandi cupiditate, vel rei nouitate et absconditarum societatum cognoscendarum studio ducti, vel inuitati ab alijs, vel denique emolumentorum expectatione commoti, cum ijs temere foedus faciant, qui a reliquis segregati, praeter leges academicas, suas sibi leges constituunt, et superbo ordinum nomine distincti, aliorum familiaritatem fastidiunt. Vetant autem et honestatis praecepta, et prudentiae consilia tale quoddam foedus cum alijs pangere. Primum enim nefas est, legibus nondum cognitis se obstringere, eaque promissa facere, quae, vtrum turpia factu sint, an honesta, ignoramus. Leuissimi profecto animi est, iureiurando se ad incerta obligare. — Deinde ipsa rerum in hisce societatibus peractarum occultatio iustam auget suspicionem, non admodum laudandas esse easdem. Nam quaecumque honesta sunt, ea licet, si non vbiuis, certe in academijs, aperte facere ac profiteri.

Tum si quis, perosus illud cum socijs commercium, vel etiam deterritus rerum promittendarum turpitudine, et impensis, ad sustinendam societatem requisitis; si quis, inquam, deserit foedus, periculum est, ne in contemti sodalitijs odium incurrat, molestisque rixis implicetur. Nulla enim grauior solet esse inimicitia, quam eorum, qui antea fuerant inter se colligati, tum alias ob causas, hic praetereundas, tum propterea, quod suspi-

suspicioni semper locus est, fore ut secreta effusantur.

Denique imprudentis est, inire societatem, antequam eorum, qui istam constituunt, mores, famamque cognoueris; ut taceam, per leges academicas, quibus iuramento obsequium spondent iuuenes studiosi, vetita esse huiusmodi foedera. — Non experti quidem, sed ab alijs edocti monemus quemuis iuuenem, ut ab ajs praesertim sibi caueat, quibus nihil aliud propositum est, quam ut ludendo, bibendoque tempus terant, et morum ruditate ac petulantia hominum oculos in se conuertant.*

§. CXX. *de officiis patriae*

Deinceps de officijs patriae praestandis loquamur. Multiplex vocabulo patriae subiecta est notio: Significat enim vel locum (urbem, vicum) in quo quisque seu natus est seu educatus; vel eam regionem (prouinciam, pagum) cuius partibus locus ille adnumeratur; vel terram, cuius haec est prouincia; vel omnes simul terras, ab illa gente cultas, quae habitat prouinciam, eademque utitur lingua. Hic autem, quum disputetur de officijs patriae debitjs, eam intelligimus ciuium societatem, (nam hominibus, non terrae, debentur officia) quacum eidem subiecti sumus

* Quae hic de studiosorum sodalitijs dicta sunt, mutatis mutandis facile poterunt ad alias huiuscemodi societates accommodari; ut superuacaneum sit, quae cautiones adhibendae sint, fusius explanare.

fumus (vel plurium, vel vnius) imperio, siue
nati in ea simus, siue, post transactam
alibi iuuentutem, in eam recepti.

§. CXXI.

Nam propterea, quod in aliquo terrarum
loco nati fumus, vel viximus aliquamdiu, nihil
debemus eius regionis habitatoribus, nisi quod
vniuersae hominum societati praestandum est.
Etenim si illis magis obstricti effemus, quam ce-
teris hominibus: sequeretur, eum, qui ex pa-
trio loco migrasset in aliam ciuitatem, eiusque
ciuibus adscriptus esset, in illius incolas potius,
quam in hos beneficium esse debere; quod nemo
facile adfirmare audebit. — Grata quidem est
eorum locorum, in quibus teneram aetatem trans-
egimus, ad seros vsque dies memoria, * quacum
puerilium ludorum coniuncta est recordatio: sed
iste natalis soli amor longe diuersus est ab eo,
quem praecipiant morum doctores. Nimirum
quoniam rationi magis consentaneum est, vt quis-
que in rebus iustis, vbi pares sunt vtroque ad
benefaciendum rationes, eius terrae, cuius ipse
inco-

* "Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educato-
res, — — — cui non locus ille mutus, vbi
ipse alitus aut doctus est, cum grata re-
cordatione in mente versetur?" Cic. pro
Planc. C. 23. Cf. II. de legibus Cap. 2. Sueton. in
Vespas. C. 2.

"Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui."

Ouid. de Pont. Ep. III, 35. sq.

Cic. de Orat. c. 44.

incola sit, ciuibus prae aliis beneficiat (cur enim
 iis, quorum mutuo saepe auxilio eget; quibus et
 promptius, et propter accuratiorem necessitatum,
 quibus satisfaciendum sit, cognitionem, rectius
 prodesse potest, cur his, inquam, neglectis in re-
 motiores aliarum ciuitatum focios ea beneficia
 transferat, quibus sui ciues egent, nulla proba-
 bilis causa potest cogitari): nihil aliud praeci-
 pinnt, qui patriam amandam esse docent, quam
 vt cum omni virium contentione, et posthabitis
 etiam interdum nostris vtilitatibus, eius ciuitatis,
 cuius velut membra simus, securitatem ac salu-
 tem propugnemus augeamusque, dummodo
 non alijs inferatur iniuria. Nam fallere
 aliarum terrarum incolas, vt nostris ciuibus be-
 ne sit; illis vel vi vel fraude bona eripere, vt
 horum opes augeantur, quae est peruersa multa-
 rum ciuitatum agendi ratio: aequae nefas esse du-
 cimur, ac si priuati homines furto et rapinis
 quaerere pecuniam, qua propinquos aut fami-
 liares impertirentur. Igitur etiam in hoc bene-
 ficentiae genere seruetur aureum illud:

"Iustitia vtilibus rectum praeponere
 suadet

Communesque sequi leges, iniusta-
 que nunquam

Largiri focis." Claud.

§. CXXII.

Ergo patriae amor non exstinguet eam, qua
 omne hominum genus complecti debemus, chari-
 ta-

tatem.* Nam amare patriam nihil aliud est, quam beneuolentiae officia, quae hominibus omnino debentur, ciuibus suis ita (sub ea conditione) praestare, ut neque iustitia laedatur, nec vlla peregrinis hominibus opitulandi opportunitas negligatur, nisi forte eodem tempore, quo peregrinus eget auxilio, nostrorum etiam ciuium aliquis flagitet opem. Quum enim et ciuis noster aequae sit homo ac peregrinus, idemque nobis plerumque propior sit, (ut facilius possit adiuuari), et nobis iterum ad tuendam securitatem augendamque salutem prodesse queat: accedit ad honestatis legem consilium prudentiae, quam, si non vetat officium, adhibere debemus. — Subdifficilis autem est quaestio, vtrum, si peregrini vel propter morum honestatem auxilio sint nostris ciuibus digniores, vel citius propter locorum adfinitatem possint adiuuari, vel nobis denique facilius remunerari queant officia — vtrum, inquam, in his et similibus causis eos, neglectis ciuibus itidem miseris, iuuare liceat. — Quum hic ea tradi debeant praecepta, quae vel vniuersalia sint, semperque valeant, vel certe ad legum generalium

- * Parum apta mihi videtur vox amoris ad ea, quae patriae debemus, significanda. Quamuis enim praua reipublicae constitutio, ciuiumque plurimorum ignauia, luxuries ac turpitude, odio dignam potius, quam amabilem, redderet terram, in qua viueres, tamen, nisi eam relinquere satius duceres, tuum foret, omnia praestare, quae in §. proximo praecipientur. Nam propterea, quod reliqui ciuitatis socii malis moribus damnum adferunt reipublicae, et finem societatis impediunt, non Tibi etiam licet ab officio recedere.

lium vniuersitatem proxime accedant: quomodo iudicandae sint huiuscemodi quaestiones, patebit.

Ex praemissis etiã intelligitur, quam falsum sit tritissimum illud: Vbi bene, ibi patria; et an recte praecipiant, qui propterea, quod multis in terra natali beneficiis gaudiisque adficiamur, huic prae caeteris nos prodesse debere docent.

§. CXXIII.

Illa, quam definiuimus, erga ciues beneuolentia innumeris in rebus, sed in hoc maxime cernitur, vt

- a) demandatis in republica muneribus cum fide et constantia fungamur;
- b) vtilia eiusdem instituta, ad liberorum aduolentiorumque educationem, pauperum, senum, viduarum, pupillorum sustentationem, ingeniorum culturam, spectantia foueamus, et si parum apta sint ad finem consequendum, medelam vitii adferamus;*
- c) vt reipublicae statum penitus cognoscere studeamus, quo facilius, vbi manca sit eius constitutio, quae labes abstergi debeat, quibusque ad eam rem opus sit remediis, intelligatur.

Hoc certe valet in eos, qui, loco altiore nati, multum pollent ad emendandam ciuium conditionem.

d) vt

* Conf. Ierem. 29. 7. 1 Tim. VI, 17-19. 1 Cor. IX, 6-9.

- d) ut tributa et vectigalia, quae communis utilitas requirit, lubenti animo iustoque tempore in aerarium conferamus;
- e) legibusque omnino et magistratibus in rebus iustis atque honestis obtemperemus;
- f) denique, ut vel nostra commoda, et ipsam adeo vitam in periculosa ciuitatis causa, ubi libertas et salus in discrimen adducitur, reipublicae deuoueamus. — —

Quis autem non videt, pleraque horum officiorum ciuibus nostris non tam propterea, quod nostri ciues sunt, quam quod humanitatis fines hoc modo facillime obtinentur, esse facienda? * Si omnes terrarum incolae in vna ciuitate coniungi, et iisdem legibus (statutis) obstringi possent: vbique terrarum esset patria nostra, nec quidquam mutaretur in officiorum doctrina. Nam in tali omnium hominum congregatione quis bonus dubitaret, legibus parere, salubria mortalium instituta perficere, pendere tributa, muneribus susceptis fungi cum diligentia?

§. CXXIV.

Miles mercede conductus, et sacramento militiae obligatus, semper in proelium ire, ducis

* Itaque supra, quum distinguerem alteram hanc officiorum partem a priore, dicendum esse putabam: quatenus nobis sunt coniunctiores. Non enim aliam hic statuo rationem obligandi; sed modum exponere studeo, quo exseri erga singulos debeat ista, quae humanae naturae omnino testificanda est, beneuolentia.

eis nutum sequi, ac vitam pro ciuibus exhalare, siue iustum sit bellum, siue iniustum, paratus esto. — Quum autem huius generis milites feruorum instar, omnem, praestito iuramento, libertatem amittere, et instrumenta tantum ad peragenda ciuium seu principum consilia esse videantur: quaeri posset, vtrum omnino licitum sit hominibus, tali vinculo ad seruitium se obstringere. Dicat etiam aliquis, ciuibus simpliciter praecipere nequire, vt animam in quocunque bello, si necessitas postulet, pro patria profundant. Etenim quum contra honestatem quidquam facere nefas sit, nonnulla autem bella pro regum ac principum ludibrio gerantur, qui vel priuatas vlcisci iniurias, vel potentiae famam acquirere, et imperium latius extendere velint: non obtemperandum esse in tali causa, neque prius arma capienda, quam iustum geri bellum sibi persuaaserint. — Sed, quamuis inanes non sint de bellorum iniustitia querelae, rectissimeque forsan ageretur, si optimi et sapientissimi ciuium consulerentur de iure belli: tamen, cum nec propter opinionum diuersitatem, neque ob studiorum varietatem sperandum sit, vt iusta semper causa vincat, et consultando vtilissimum defensionis tempus plerumque absumatur, haec deliberatio magistratum esto, qui, si iniustum gerunt bellum, grauissimam in se culpam admittunt. Quare si quis ciuium iniustitiae reum atque participem se fore autmet, discedat e ciuitate, pactumque cum republica initum dissoluat. Vereor autem vt hoc, belli tempore et in ipso ciuitatis discrimine facere possit

sine aliqua sui nominis ignominia. — Ex praemissis etiam liquet, militum mercede conductorum iuramentoque obstrictorum negotia per se licita esse, quamdiu propter iniurias undique imminentes ad bellum parati esse debemus, eoque magis, quod pacis munera, si armatus et bene instructus semper exercitus adest, feliciter possunt administrari. Contra si ex officinis artifices, e tabernis mercatores, ex agro arator, e domo paterfamilias ad bellum euocantur, iacent horum salubria ciuitati opera, et utilissimorum ciuium numerus deminuetur. — *

Quae-

* Veteres Italiae Graeciaeque ciuitates vehementer, quo flagrabant, amore patriae ingentem gloriam nactos esse sciunt lectores. Variis enim illae adminiculis atque institutis — adhortationibus, triumphis, coronis, statuis, carminibus, eum, qui cuius ingeneratus est, natalis soli amorem excitabant, fouebant, augebant; et propter militantes undique hostes ad defendendam suorum libertatem necessitate quadam compellebantur. Memorabilis inprimis est Graecarum ciuitatum mutua vehemensque *inter se* aemulatio, et, ubi ab externis hostibus vniuersae patriae periculum imminerebat, fidelis ac subita confociatio. Cuius amoris causas et incitamenta, qualia fuere ludi solennes, communis Deorum cultus, puerorum educatio, victorum honores et similia, recte exposuit Sulzerus in den Vorübungen zur Erweckung der Aufmerkts. und des Nachdenkens. Cf. Cic. Lib. I. C. XVII. §. 2.

Nimios autem passim fuisse praesens in celebrandis eorum laudibus, qui temere interdum, et iniustus in bellis, pro patria se deuouerunt, mihi persuadeo. Horum enim laudes ita exaggebant, ut certum iis ac definitum in coelo locum fore putarent. Cf. Somn. Scip. C. 3. Ex quo intelligitur, quam vera sit Garuii C. sententia

112

Quaeuis autem bella, cum, quid iustum sit, armis nunquam euinci possit, abominanda esse, iam supra diximus. Sed gerenda interdum erunt, donec omne hominum genus eo peruenierit, vt non beluarum modo lites componat.

§. CXXV.

Iuuenibus etiam datur locus de patria bene merendi. Luculenter enim testificantur suam in ciues beneuolentiam, si tempus irreparabile non terunt rebus inutilibus, sed parce dispensant, artes fideliter discunt, et ad capeffendam olim rempublicam sese mature idoneos reddunt. Sint igitur semper memores horum versuum Ouidianorum:

"Eunt anni more fluentis aquae,

"Nec, quae praeteriit cursu, reuocabitur vnda;

"Nec, quae praeteriit, hora redire potest.

"Vtendum est aetate, cito pede labitur aetas,

"Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit. —

Labitur occulte fallitque volubilis aetas,

Et nihil est annis velocius.

§. CXXVI.

tia in l. laudato p. 294.: "In jedem Lande, in jeder Periode der Cultur ist diejenige Tugend am meisten geachtet, deren die Gesellschaft nach ihrer Verfassung und Lage am wenigsten entbehren kann." Cf. Fr. Guil. Bas. de Ramdohr liber inscript. Venus Vraetia T. III. L. XV. vbi in liberis Graeciae ciuitatibus fortitudinem quandam virilem in ipsis feminis pluris aliquamdiu, quam morum elegantiam et venustatem, aequissimam esse docetur.

§. CXXVI.

Ad tuendam civium libertatem, et coercendam petulantium hominum iniuriam, magistratus ac iudices creantur. *

Qui cum iisdem, quae reliquis praecipuntur, humanitatis officiis sint obstricti: omnem diligenter evitant temeritatem, et in regnando ac iudicando lubidinem. Non enim civis sua, sed se civium causa creatos esse nunquam obliuiscantur. ** Itaque legibus iustis, ad civium conditionem accommodatis, institutisque vtilibus securitatem reipubl. muniunt, et, quantum fieri potest, salutem atque perfectionem eorum augent.

Iudices severitatem coniungant cum clementia, *** sintque legum instar surdi atque inexora-

- "Magistratibus opus est: sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest." Cic. de leg. III, 2.
- "Qui reip. praefuturi sunt, hoc Platonis praeceptum teneant: ut, quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Ut enim tutela, sic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Id. in Imo de Off. L. c. 25. Plura in l. c. vtiliter de magistratuum officiis praecepit. Nos autem brevitati studemus in eorum expositione. Cf. I. ei. Ep. ad Quint. 8. et II. c. 22., ubi: "Habere quaestui reip., inquit, non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium."
- "Ita enim probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur reip. causa severitas, sine qua administrari civitas non potest." Cic. I, 25. "Nam, ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur, et vitio-

exorabiles; * nullis vnquam muneribus corrumpi se patiantur; nemini, qui ciuibus intulerit iniuriam, parcant, memorabile Bruti exemplum secuturi, et a partium studio,** ab avaritia et iracundia *** sint alienissimi.

Ciuum est, viros tam graui munere fungentes ea, qua par est, reuerentia colere; † molestiam iis non faceffere, nisi necessariam; iustis eorum praeceptis atque legibus libenter obedire; si impunes etiam effugere possent magistratuum vigilantiam, tamen in officio remanere, iudicium vero

vitiourum eruptio. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet. Nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli." Sen. de Clem. L. I. C. 2.

* Cf. Liu. L. II. c. 3.

** "Vere enim dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem: mutum magistratum." Cic. de leg. III. c. 1.

Hoc significare voluerunt Aegyptii. Nam Thebis visebantur simulacra iudicum manibus carentium, et praefidis eorum, oculos in terram versos habentis. Cf. Plut. Isid. Tom. II. p. 355. m. cf. Cic. L. I. ad Att. Ep. 14. Quint. L. II. c. 16. L. VI. c. I.

*** Quod eleganter suadet Cic. L. I. Off. c. 38.

De magistratuum officiis cf. Ep. ad Rom. XIII, 1. 4. "Sie ist Gottes Dienerinn, dir zu gut. et 2 Chron. XIX, 6. 7.

† Tanta olim erat magistratuum reuerentia, vt ab ipso Deo crederentur ad hominum tutelam creati. Sublimis profecto et digna tanto munere imago, quae, quales se praestare debeant magistratus, et quid faciendum sit ciuibus, si Dei loco illi non indigni videntur, optime docet! vid. Rom. XIII, 1. 2. 3. 5. 6. 7. 1 Petr. II, 13. 14. 1 Tim. I, 1. 2. cf. Cic. de leg. III. c. 2. "Iis non solum obtemperare, atque obedire ciues oportet, sed etiam eos colere ac diligere.

vero, animos nunquam donis, precibus, minis tentare. Est enim scelerum particeps, qui persuadere studet aliis, ut iustitiae viam relinquunt.

§. CXXXVII.

Non praetereunda hic est eorum, qui ab aliis acceperunt beneficia, cum ipsis munerum auctoribus coniunctio. Nam plerique morum doctores peculiare quoddam tradunt officiorum genus; iis, qui nobis benefecerint, praestandum.* Quamvis autem contra horum sententiam

* Nec ipse Regiomontanus hunc eultant errorem, qui, si paulo fuisset attentior ad sua ipsius dogmata, iis, quae de grato animo p. 127. l. c. disseruit, neutiquam conuenientia: non esset secutus morem vulgarem. Dicit enim venerabilis senex: "gratum animum (gratitudinem) esse reuerentiam, aliis ob tributa nobis beneficia praestandam." ("Dankbarkeit ist die Verehrung einer Person wegen einer uns erwiesenen Wohlthat.") Quod si verum esset, haec inde rectissime colligerentur:

- 1) eum etiam, qui sui commodi gratia nobis benefecerit, ut vel paria, vel maiora, vicissim acciperet munera, propterea dignum esse, quem reuerentiam;
- 2) ipsos adeo fures, si nobis direpta aliorum bona largiti sint, cum profuerint nobis, cultu ac reuerentia dignos esse. Quid enim refert, si beneficium in Te collatum per se muneris auctorem venerabilem reddit, quo modo partum sit illud? Etenim aut concedas, beneficia nec iniuste parta, et libenter (ex prompta purissimaque voluntate) Tibi tributa, grati animi reuerentiam promereri; aut latrones in Te beneficos, aequae ac viros honestos, coli debere pro muneribus datis.

3)

tiam nemo facile dicere possit, quin aliorum sibi inuidiam faciat, et pro ingrato habeatur: malo tamen

- 3) Eos, qui magis quam patroni egeant auxilio nostro, eoque sint digniores, tum, cum hi flagitent opem, negligi et inopes relinqui debere.

Harum propositionum veritatem, atque cum Kantianis dogmatibus cohaerentiam, si quis potuerit demonstrare, magnus mihi erit Apollo. Quippe cum centies dicat criticae philosophiae doctor, neminem, nisi qui interna honestatis dignitate legumque moralium maiestate motus officium faciat, probi viri nomen mereri; cumque vel prodiga in nos beneficentia coniuncta esse possit cum animo abiecto: non tam sagaci sum ingenio, ut harum sententiarum repugnantiam tollere possim. — Nec vero ullam, si accurate rem examinamus, sufficientem obligandi rationem subiunxit Vir Illustris. Quum enim concedere nollet, gratiarum actionem propterea, "quod sit ad plus dandum inuitatio," praecipii posse, nec tamen aliam cerneret, qua isthaec a beneficentia omnino distingueretur, his usus est verbis: sie ist unmittelbare Nöthigung durchs moralische Gesetz, d. i. Pflicht. Equidem contra dicere ausim: sie ist nicht unmittelbare Nöthigung, d. i. nicht Pflicht. Quomodo enim per se bonum esse queat, quod honestatis legibus interdum, ut supra vidimus, repugnat, equidem non intelligo. Nec etiam impediuntur humanitatis fines, si simpliciter, hominibus benefaciendum esse, iis maxime, qui dignissimi videantur, praecipimus, nulla acceptorum beneficiorum habita ratione, nisi verosimile sit, aliquem nobis (quatenus homines sumus) gratis benefacere voluisse. Tum enim huic potissimum fauebimus, non quod nobis, sed quod omnino benefaciendi studiosus, bonam animi voluntatem factis comprobauit. — Ut autem, quam vehementer sibi repugnet in hoc loco Vir praestantissimus, rectius intelligant legentes, conferant velim ei libri p. 42. vbi scriptum est: "Für eine Pflicht kann auch nur ein einziger Grund

tamen falsam ciere suspicionem, quam deserere verum. Tam leui enim momento pendet eius, qui pro acceptis muneribus aliorum commodis seruit, beneficentia, tamque iniusta et temeraria est interdum, vt virtutis nomen haud mereri videatur. Sublatis certe aliorum beneficiis, vel cessante, vt ita dicam, vsura: nihil superest, quod in officio retinere possit virum, qui paria tantum paribus referre consuevit, nec prudentem, sed avarum atque sordidum, se praebet officiorum ratiocinatorem. Melius profecto cum homi-

Grund der Verpflichtung gefunden werden." Quod si ad beneficentiam proueni esse debemus, etiam si nullum antea beneficium nobis datum sit; gratiarum autem actio beneficentiae genus est; quomodo, si illa propositio habet veritatem, ad huius virtutis cultum impelli possemus acceptorum honorum memoria? —

Denique vana et nimis arguta mihi videtur alia Ib. (p. 127.) addita distinctio. Gratiarum nempe actionem a reliquis officiis eo differre dicit, quod habeat sanctitatem inuiolatam. ("Dankbarkeit muß auch noch besonders als heilige Pflicht angesehen werden.") Haec differentia et falsa est, et perniciofa. Non enim solum quaeuis officia sanctissima sunt, et eandem habent, quam gratiarum actioni tribuit, grauitatem; sed verendum etiam est, ne quis temere sibi persuadeat, reliqua officia negligi interdum posse, dummodo grates referantur hominibus beneficiis. — A fine libri alienum est, plura monere, quae sunt in promptu. Qui falsas de grato animo sententias penitus cognoscere cupit, conf. Lawätzii libr. Ueber menschliche Tugenden und Laster. Equidem, si non in omnibus, in plerisque adsentior Seidenstückerō, qui hac de re differuit in dem Schleswigischen Journal. a. 1793, II. 290. sqq.

hominibus agitur, si in benefaciendo dignitatis atque indigentiae delectus habetur, antequam beneficia nobis tributa ad calculum vocemus; quoniam periculum est, ne, illorum computatione corrupti, iustitiam laedamus. — Attamen omnes fere prisca, quamvis iustitiam virtutum reginam adpellent, vno velut ore condemnant animum ingratum. "Ego, inquit Cicero, ingrati animi crimen horreo, in quo vitio nihil mali non inest." Et Seneca: "hoc tam inuisum vitium, an impunitum esse debeat, quaeritur" (de Benef. lib. c. 6.) — Apud Persas iudicium de isto crimine, vnde grauissima soleant inter homines odia existerere, institutum esse docet Xenophon (in Cyrop. L. I.) — "Non referre (sunt Senecae verba in l. c. c. l.) beneficii gratiam, et est turpe, et apud omnes habetur."

Nolo pluribus locis confirmare huius rei veritatem. Sed facillime ex animi humani natura intelligitur, qui factum sit, vt omnes morum praecipitantes tam acerbè inuaderent in homines ingratos. Quippe cum pleraque beneficia propterea tribuantur nobis, vt similia retribuamus, fieri nequit, etiamsi honestissimo consilio ducti alios (pauperiores aut digniores) prius, quam illorum largitores, adiueamus, quin ab iis, qui dolent spem ad irritum cadentem, vel despiciamur vel infamemur. — Accedit, quod prisca illi auctores ingratum hominem nec in patriam nec in parentes beneuolum esse posse autumabant. Persae certe in hunc errorem lapsos esse Xenophon docet: "Ingratos, inquit,

inquit, 'nulla Deorum reuerentia, nulla parentum, patriae, amicorum cura tangi putabant.' — Sed quam fluxa et leuis foret ea in patriam et parentes pietas, quae beneficiorum solam recordationem fontem haberet, ex antecedentibus intelligent lectores. — Denique, cum sensu prius quam ratione duci soleant homines, iustitiam sero, beneficiorum contra compensationem mature suspicere discant. — Verum, ne duram videar sententiam adferuisse, et iniquos homines defendere velle, hanc censeo legem ab iis, qui beneficiis donati sint, seruari debere, vt, si eos, quos in se beneuolentes vel etiam beneficos fuisse intellexerint, aequè dignos ope et indigentes, ac reliquos, esse sentiant, his primum, tum illis opitulentur.

Sic enim retinetur iustitia simul cum mutua charitate.

§. CXXVIII.

Eorum autem, qui benefecere nobis, primum sine dubio locum tenent, qui a sui commodi studio fuerunt alienissimi. Hos igitur prius, quam praemiorum cupidos, remunerari debemus.

§. CXXIX.

Plerique parentum naturali prolis amore potius, quam officiorum conscientia ducti, alunt, educant, instituuntque liberos. Et quamuis plurimi nostrum a nemine tanta accipiant beneficia,

quan-

quanta parentibus accepta referunt: * manca tamen et leuis profecto esset morum disciplina, si pietatem iis debitam e sola illorum beneficiorum grata memoria, tanquam e fonte, deriuarem. Et enim, quo iure eos, qui a parentibus negligi se vident, vel etiam iniustus, atque morosis patribus vtuntur, iubere possemus, vt obtemperent illorum praeceptis, eosque, cum ad senectutem peruenierint, subleuare studeant, si alia nulla huius officii causa reperiretur? Quod iterum probat, gratum animum non esse certum officii doctorem. —

§. CXXX.

Sed quoniam tenera necdum exulta aetas, quid faciendum fugiendumque sit, et quae sibi conducant vel noceant, non satis intelligit, parentum praecepta legum sanctitatem habent, donec ipsi liberi, quam viam ingredi debeant, intellexerint, nec amplius egeant duce. ** Et enim

* Seneca: "Beneficiorum maxima sunt, quae a parentibus accipimus, dum aut nescimus aut nolumus. Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora, ac repugnantium, diligenti cura fouent etc. Benef. VI. c. 24. Cf. Cic. Orat. post red. in S. c. 1. Stobaei ferm. 77. Cic. de Amic. C. 8. 1 Tim. V, 4.

** Hoc praeclare exposuit Cl. Fichte in systemate suo philosoph. moralis (System der Sittenlehre nach den Principien der Wissenschafts-Lehre) T. II. p. 458., vbi inter multa acute dicta haec legitur: "Gehorsam ist beim Kinde die Nachbildung der ganzen moralischen Denkart; dar-
um

enim, simulac vera et honesta ipsi perspiciunt, non amplius est obedientiae locus, cum obedire nihil aliud sit, quam praeceptis ab aliquo datis propterea, quod ab eo data sunt, obtemperare. Nec dubito, quin parentes, qui ad veram humanitatem liberos educare, quam faevum in eos imperium exercere, malunt, cum Terentiano illo Mitione * consentiant, qui:

"Hoc, inquit, patrium est, potius consuefacere filium

"Sua sponte recte facere, quam alieno metu.—

Verum adultiores etiam iuvenes, quorum cultus est ingenium, in rebus aequis et honestati consentaneis morem parentibus gerunt, idque facient eo lubentius, quo salubriora horum praecepta sibi esse intellexerint. Etiam si autem nonnulla parentum consilia liberis prudentioribus non admodum placeant, tamen, dummodo non repugnent honesto, fatius erit obtemperare, quam negare obedientiam. Non enim solum bona eorum, qui nostrae salutis consulunt, voluntas magni facienda, et obsequio remuneranda est, sed prompta liberorum obtemperatio parentes etiam reddit ad benefaciendum proniores. ** Et cum alios

um ist er über alles wichtig. Nämlich wie der gebildete Mensch sich verhält gegen das Sittengesetz überhaupt, und gegen den Ausführer desselben, Gott, so verhält das Kind sich gegen das Gebot seiner Eltern, und die Person derselben." etc. Doleo, hunc librum docte scriptum, cuius posteriorem imprimis partem commendō legentibus, nimis sero a me consultum esse.

* In Adolph. Act. I. Sien. I. v. 49.

** Eph. VI, 1-3.

alios quam maxime felices reddere debeamus, dummodo iustitiae limitibus contineatur officium, parentes autem summam e liberorum obsequio laetitiam hauriant, * hanc ipsam ob causam nefas est non obedire in rebus honestis. — Ipsam senilis aetatis morositatem aequo animo ferent iuvenes humani. **

§. CXXXI.

Quamvis autem haec rationis iussa atque consilia, quibus, tanquam certissimis fundamentis constituatur liberorum erga parentes obsequium, praemittenda esse putavi, nolo tamen extinguere in iuvenum animis suavem illum et amabilem, qui cuius ingeneratus est, parentum amorem. "Caritas enim, quae est inter natos et parentes, dirimi, nisi destabili scelere, non potest," *** omnisque, sublato

* Prou. Sal. XXIII, 22. 24. 25. Laß sich deinen Vater und deine Mutter freuen und fröhlich seyn etc.

** "Facile intelligo, inquit Tullius, non modo reticere homines parentum iniurias, sed etiam animo aequo ferre oportere." Pro Cluent. C. 6.

Egregia de liberorum officiis praecepta Lamprochi filio, matri irato, tradit Socrates ap. Xenoph. L. II. Memorab. C. II. Minus autem placet, reliquis ad obedientiam momentis, non a Socrate tantum, sed ab aliis etiam, hoc addi, quod vitam parentibus debeamus. Est enim profecto leuissimum; nec vita potest pro beneficio haberi. Nam ut mihi aliquis benefaciat, progenitus iam sim oportet. Quomodo igitur, qui facit ut sim, nondum autem mei notitiam habet, mihi benefecisse putari potest? Ut taceam, plerosque parentes, liberorum, in procreandis liberis, curam non gerere. — —

*** Cic. de Amicit. c. 8.

lato hoc amore, qui et naturalis est et ad salutem hominum efficacissimus, vitae domesticae iucunditas tolleretur. Pulchrum est videre teneros iuuenes, amore ductos, parentis nutum intueri et lubenti animo facere iussa. Hinc a posteris etiam summis iustisque laudibus celebrata sunt exempla eorum, qui vel aequo animo tulere patrum acerbitatem,* vel periculo liberarunt** et beneficiis remunerati sunt parentes.

§. CXXXII.

Senectute confectos parentes, si opus est, alere, sustentare, in omni miseria, vel corporis aegritudine, cum patientia subleuare; defunctos vero sepeliendos curare, et in memoria retinere, liberorum est.***

§. CXXXIII.

Tutores, et qui parentum loco sunt, horum instar coluntur.

§. CXXXIV.

Et cum iuuentutis doctores in grauissimo, † quod administrant, munere, nihil proficere queant,

* Vid. Ael. V. H. L. IX. c. 33. narrationem de adolescentulo Zenonis scholam frequentante.

** E. i. L. III. c. 22. A. Gell. L. V. c. 9. Valer. L. V. c. 4. Cic. Off. III. c. 31. Liu. L. VII. c. 4. Plut. in Coriol. Liu. II. c. 33. 34. 35.

*** "Verachte deine Mutter nicht, wenn sie alt ist." Prou. S. I. c.

† "Non (enim) is solus reip. prodest, qui candidatos extrahit, et tuetur reos, et de pace belloque censet: sed qui

ant, si tironum petulantia, segnities, contumacia, negligentia repugnat eorum studiis, his etiam in rebus iustis, et ad culturam discipulorum spectantibus, morem gerendum esse nemo bonus dubitabit.* Excitandi etiam sunt ad diligentem muneris molesti functionem reuerentia, pietate et obseruantia. Quare maiores natu, vbicunque possint, eos, a quibus olim instituti sunt, et velut ad honestatem imbuti, adiuuare, colere et remunerari ne obliuiscantur. Sic enim promtiores ad sustinendam muneris molestiam reddentur magistris.

§. CXXXV.

Quis sit coniugii finis, quaeque sint coniugum,** praeceptorum,*** parentum,† tutorum

qui iuuentutem exhortatur, qui, in tanta bonorum praeceptorum inopia, virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat ac retrahit. — An ille plus praestat, qui inter ciues ius dicit, quam qui docet, quid sit iustitia, quid pietas, quid patientia etc. Sen. de tranq. C. 3. Cf. Cic. II. de diuin. C. 1. 2. De Senect. C. 9.

* Praeceptorum — — — magna reuerentia sit, inquit Seneca. Ne dicas, nihil quidquam his deberi, nisi mercedulam. Nam primum quaedam plura sunt, quam emuntur. Emis — — — a bonarum artium praeeptore studia liberalia et animi cultum etc. De benef. VI. c. 15.

** Cf. liber docte eleganterque scriptus (Hippelli) Ueber die Ehe.

*** Senec. Ep. 108. De ira L. II. c. 21. Quint. L. I. C. 2. Sen. de Clem. C. XVI. XVII. Quint. L. I. C. 3. Cic. de Orat. III. C. 9.

† Cic. in Verr. L. III. c. 69. Iuu. Sat. XIV. v. 70. 1. 3. 31. 44. Cic. in Bruto c. 58. Quint. L. I. c. 1. Plat. Criton

rum, dominorum * officia, nolo hic explicare. **
Haec enim, siquidem iuuenibus tradi debere opinabuntur legentes, facile poterunt reperiri a doctoribus rei peritis.

§. CXXXVI.

Ad rei familiaris administrationem opus est seruis, siue hominibus mercede conductis. Qui, cum humanitatis iura nobiscum communia habeant, ne a dominis quidem, nedum a iuuenibus, dominorum filiis, dure, acerbe aut petulanter tractandi sunt. Nihil enim magis dedecet adolescentem, quam imperitare maioribus natu, et peritiores ac reipubl. utilissimos homines ludibrio habere. Nec etiam iure suo quidquam imperare videntur seruis, ut qui parentum, non liberorum, mercede sint ad honesta seruitia conducti.

§. GXXXVII.

Quicumque autem ab aliis mercede conductus est, siue famulus sit, siue praeceptoris atque educatoris munere in aliqua domo fungatur, demandata sibi negotia, tantum

ton. p. 115. ed. Fischeri. Plutarch. de pueror. institut. (c. not. Xylandri, Heumanni etc. ed. I. Fr. Heusingerus — Graec. I. G. Schneider.)

* Cic. Off. I. c. 13. Sen. I. de Clem. c. 18. Ep. 47. Cf. ad omnem hunc locum haec bibliorum dicta: Col. III. 18. 19. Prou. XXXI, 10-13. 28. — Eph. VI, 4. Col. III, 21. IV, 1.

** Rerum sane mouent, qui concionatorum, siue sacerdotum officia, ecclesiae debita, coram tironibus exponunt, vel in libris scholasticis tradunt.

quam sua fideliter peragere; iustis eorum, quibus seruit, praeceptis libenter obtemperare; non mercedem tantum in oculis habere, sed familiae, quacum coniunctius viuit, vera commoda diligenter curare, nec tantum, quamdiu versatur in illa domo, sed post abitum etiam, secreta domestica celare debet.*

§. CXXXVIII.

Quantus apud priscae gentes senibus honos habitus sit, non ignorant lectores antiquae historiae periti.** Narrent igitur iuuenibus instituta maiorum, et, an iustum sit, reuereri senes, vel quatenus progredi debeat senum reuerentia, explorent, atque exponant.

§. CXXXIX.

"Sed omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmitior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti."***

§. CXL.

* Vid. Ep. ad Tit. II. 9. 10.

** Cic. Offic. I, 34. De Senect. C. VIII. V. Gell. L. II. C. 15. Iuu. Sat. XIII. v, 54. Iustin. L. III. c. 3. Valer. Max. L. IV. c. 5. Cic. Offic. c. 12. Libr. II. Plin. Ep. L. VIII. 14.

"Magna fuit capitis quondam reuerentia can-

"Inque suo pretio ruga senilis erat." Ouid.

*** Cic. L. I. Offic. c. XVIII §. 7. Inexhausta sunt amicitiae praeconia, in Veterum scriptis obuia. Nihil naturae aptius, nihil ad res vel secundas, vel aduersas conuenientius, nihil dulcius esse centies profitetur Cicero, idemque sublata caritate omnem e vita tolli dicit iucun-

§. CXL.

Prodest enim, siquidem iustitiae fundamento constituta est, non solum ad beate, sed etiam ad bene recteque viuendum.* "Quoquo te vertis, praesto est; nullo loco excluditur; nunquam intempestiua, nunquam molesta est. Non aqua, non igni, vt aiunt, pluribus locis utimur, quam amicitia."** — Eademque consiliis, admonitionibus, exemplo, et interdum ad eo leui obiurgatione*** mores conformat ad honestatem.

§. CXLI.

Non autem idem velle, atque nolle, vt apud Sallustium inquit Catilina, † ea demum firma amicitia est. Nam tales etiam viri, qualis erat iste nebulo, in rebus turpissimis mirifice interdum consentiunt. Abutuntur profecto sancto amicitiae nomine, qui homines iniustos ac maleficos, dummodo conspirent ad mutuum inter se auxilium, illius vinculo iunctos esse dicunt. Hi enim

ditatem. Cf. Eius de Amicit. liber, inprimis c. 5. 6. 27. 23.

— — "Nihil ex semet natura creauit
Pectore amicitiae maius, nec rarius vnquam.
Vnus erat Pylades, vnus qui mallet Orestes
Ipse mori. Lis vna fuit, pericula mortis
Alter quod raperet, fatum non cederet alter."

Manil. Astronom. L. II.

* Prou. Sal. XVIII, 24. XVII, 17.

** Cic. I. c. 6. §. 22. ed. Ern.

*** Cic. I. c. 4. 24.

† C. XVI.

enim coniuratione potius, quam amicitiae benevolentia copulantur. Cf. etiam Sall. Iug. C. 33.

§. CXLII.

Haec igitur esto lex inuiolata: ne quis in aliorum fraudem cum vlllo mortalium ineat societatem, siue amicitia haec adpelletur, siue aliud quoddam speciosum prae se ferat nomen. — Ne hoc quidem permittunt humanitatis leges, vt amici sua tantum inter se mutua commoda curent, aliorum vero salutem prorsus relinquunt. Neutiquam enim permanet in officio, qui in paucos homines omnia velut congestat beneficia, reliquorum autem saluti satis profuisse putat, dummodo nullis eos adfecerit iniuria.

§. CXLIII.

Quoniam vero plerique mortalium suis commodis ad ineundam cum aliis societatem ducuntur; siue opes, pecuniam, honores augere studeant, siue lepidis aliorum facetiis delectentur; nec iis, qui bona voluntate ducti aliorum familiaritatem quaerunt, satis semper est prudentiae, vt occulta familiarium consilia taceant, calidis contra et astrutis saepissime deest bona voluntas: hinc sit vt vera amicitia "rara sit auis in terris, nigro simillima cygno;"* vt recte dicat Phaedrus:

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.**

— Accedunt inuidia, hominum inconstantia,
ca-

* Cf. Kant. I. c. p. 157.

** L. III. Fab. 9. v. 1.

calumniæ; ingeniorum, ætatis, honorum dissimilitudo; quæ omnia vel impediunt fidelem amicitiam, vel foedus subito rumpunt. *

§. CXLIV.

Distinguendum igitur est inter leuem vulgi, et honorum virorum constantem amicitiam. Illa vel suis tantum commodis fordidè studet, vel aliis detrahit, quod amicis largiatur. Quo fit, ut neque constans nec sincera esse queat. ** Nam cessante foenore atque mercède, extinguitur simulata benevolentia, quæ tum etiam deminuitur, quum maius atque splendidius aliunde commodum sese offert. — Hanc autem perfectiorem amicitiam ita definit Cicero, ut sit "omnium diuinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio."

Quid hæc definitio sibi velit, et an vera sit, coram explicetur. *** —

Mihi quidem rectissime definiri posse videtur per intimam bonorum hominum familiaria-

- * "Amicus, res non domibus tantum, sed saeculis rara, quæ non alibi magis deest, quam ubi creditur abundare. Non sunt isti amici, qui agmine magno pulsant inuicem regum, aut reges simulantium. Atria hominibus plena sunt, amicis vacua." Sen. de benef. VI. c. 23. 34.
- ** "Hoc primum sentio, nisi in bonis, amicitiam esse non posse. Hæc ipsa virtus amicitiam et gignit, et continet, nec sine virtute amicitia esse vilo pacto potest." Cic. l. c. c. 5. 6.
- *** Quaedam ad hunc locum pertinentia differui in d. D. Monatschrift J. 1797. Febr.

liaritatem, morum quadam similitudine, mutuis beneficiis, et iustitiae fundamento nixam, qua non modo ipsorum familiarium, sed civitatis etiam, et, quantum fieri potest, totius humanitatis salus augeatur.

§. CXLV.

Itaque amicorum officia partim ipsis inuicem, partim reliquis hominibus erunt praestanda.

§. CXLVI.

Alter familiarium alteri haec fere debet.

- a) Salutem eius, non aliter ac suam, omni, quae per iustitiam licita est, ratione curet; * erranti comiter viam commoneat; peccantem obiuret sine contumelia; non deserat eum in rebus incertis, sed consolatione promptissimoque auxilio, suis etiam interdum commodis posthabitis, libenter adiuvet.
- b) ** Quaecumque licet prodere animi consilia, cum familiari communicet. ***
- c) Ta-

* Cic. de Fin. I c. 20. "Si quis sapiens amicitiam tueri velit, eodem modo erit affectus erga amicum, quo in se ipsum; et eosdem labores eius causa suscipiet, quos propter se susceperit. Laetabitur amici laetitia aequae sua, et pariter dolebit eius angoribus etc

"Ipse amicos res optima parit, a duersae probant,

Poscunt fidem secunda, at aduersa exigunt." P. Syr.

** Sincerissimae amicitiae exempla narrant Plut. in Cat., Val. Max. L. IV, c. 7.

*** — "Toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere; quam tecum. Tu quidem ita viue, vt nihil

- c) Taceat commissa, siquidem licet.
 d) Non irascatur amico leniter obiurganti;
 nec
 e) nimis multa et iniqua ab eo petat, ne fati-
 getur illius benevolentia.

§. CXLVII.

Reliquis autem hominibus fides simul ser-
 uanda est. Quare nec horum salus amici causa
 negligatur; nec reticeantur in fauorem familiaris
 ea, quae vniuersae ciuitati possent perniciem ad-
 ferre; * nec denique effutiantur aliorum secreta,
 siquidem vel res ipsa postulat occultationem, vel
 fides data est narranti.

Quum ex amicitiiis temere factis existant in-
 terdum grauissimae similtates et varia mala, sum-
 ma erit in eligendis familiaribus adhibenda cau-
 tio. ** Variis igitur modis tentare debebis, an-
 tequam in eas foedus, hominum mores, probita-
 tem, castitatem, taciturnitatem, ingenia, cupi-
 ditates; et, quomodo erga veteres ami-

COS

nihil committas, nisi quod committere etiam inimico
 possis. Sed quia interueniunt quaedam, quae consue-
 tudo facit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogi-
 tationes tuas misce. Sen. Ep. 3. — Nonne ex par-
 te falsa sunt haec Senecae praecepta?

- * Fieri enim post, vt amicorum mores corrumpantur. —
 "At neque contra rempublicam, neque contra iusiu-
 randum ac fidem, amici causa vir bonus quidquam fac-
 ciet. Nam si omnia facienda sint, quae amici velint:
 non amicitiae tales, sed coniurationes putandae sunt."
 Cic. Off. III, 10. Cf. de Amic. C. XI. XII. XIII.
 ** Cic. de Am. C. XVII, XXI. Sen. de Tranqu. C. VII.

cos adfecti sint, explorare. Probatis autem eorum moribus, constanter ad vltimum vsque vitae halitum obseruanda sunt amicitiae officia, nisi forte ab honestatis via recesserint, nec admonitionibus Tuis possint ad virtutis tramitem reduci. Tum vero soluere, quam diffecare amicitiae vinculum satius erit.

§. GXLVIII.

In academiis proderit, omnem aliquamdiu familiaritatem cum reliquis literarum studiofis euitare, ne vel temere cum improbis iunctae amicitiae postea Te poeniteat, vel nimis adaucta familiarium multitudo Tibi fiat molesta, et a ferriis negotiis reuocet vel inuitum. Obseruandi sunt, antequam cum vlllo contrahas familiaritatem, commilitonum mores; tum vero ex iis, quos diligentes, modestos et reliquis doctiores esse cognoueris, pauci erunt eligendi, cum quibus familiariter verferis, repetasque audita.*

§. CXLIX.

- * Liceat hoc loco iterum quaedam contra Kantium monere. Distinguit enim Vir sapientissimus inter perfectam amicitiam; et honestam familiaritatem (moralische Freundschaft), et illam quasi exemplar absolutum esse dicit, ad quod conformari debeat omnis amicorum consuetudo. Perfectam autem et omnibus numeris absolutam amicitiam in eo consistere sibi persuadet, vt pari charitate ac reuerentia se inuicem amplectantur familiares (cf. p. 152. l. c. Freundschaft in ihrer Vollkommenheit ist die Vereinigung zweier Personen durch gleiche wechselseitige Liebe und Achtung). Ipse autem concedit, fieri non posse, vt eum, qui reuerentia dignus sit, aeque in nos reddamus beneuolentem, ac nos ipsi simus erga

§. CXLIX.

Studioſi inprimis iuuenes in academiam migraturi monendi ſunt, vt ab aleatorum, comellatorum et prauorum omnino commilitonum familiaritate ſibi caueant, ne pernicioſis exemplis in exitium trabantur. Valde autem in hoc vitae curſu adiuuabuntur bonorum, diligentium, modetiorum amicitia.*

— Vinam, perlecto hoc libello, ſemper aureum Senecae praeceptum teneant literarum ſtudioſi:

”Vir bonus, quod honeſte ſe facturum
 ”putauerit, faciet, etiamſi laborio-
 ”ſum erit; faciet, etiamſi damnoſum
 ”erit; faciet, etiamſi periculoſum
 ”erit. — — Ab honeſto nulla re de-
 ”terrebitur, ad turpia nulla ſpe in-
 ”uitabitur.”

erga illum; nec praeterea noſtrum eſt facere, vt alios reuereamur atque amemus, quia homines officiorum immemores ac vitiiſ inquinati ipſi deminuunt noſtram erga ſe reuerentiam. Quomodo igitur, ſi, quod ipſe Kantius fatetur, perfectum illud exemplar attingere nequimus, praecipi nobis poſſit, vt talem cum aliis familiaritatem contrahamus — equidem non video. Nam quodcumque eſt officii noſtri, ita ſit comparatum oportet, vt ſufficiant vires ad rem perficiendam. Aliud autem eſt, pictori ſiue omnino artifice proponere exemplar, quod adſequi ſtudeat in eſſigendis operibus; aliud virtutis perfectae ſimulacrum depingere. Illud enim cum a phantasia ſingatur, nunquam poteſt attingi; hoc autem proſciſcitur a ratione, quae nihil fieri iubet, niſi quod peragi poſſit.

* Cf. Xenoph. Mem. L. II. Cap. VI.

Kunhard

3

revera in dno Hact
 e' rectare p'p'riam
 obsecratio Hact laurum
 exalumnia Hact
 inquamare Hact
 in unimentum Hact
 emendare Hact
 indoles uadurly Hact
 infamia Hact
 detinere Hact
 expedire Hact
 perfimonia Hact
 ac alienum Hact
 saluere Hact
 orbatus Hact
 abscere Hact
 abominatus Hact

CLV

neuo Hact
 & CLVI
 peculiaris Hact
 neutequam Hact
 remanentem Hact
 conditio Hact
 incogena Hact
 impensa Hact
 resp'ctio Hact




Reinhard

3

revera in der That
eigentliches ^{unwiderleglich}
obscure ^{unklar} ^{unbekannt}
calumnia ^{Unschuld}
inquanare ^{unrein}
memorandum ^{Denkmal}
emendare ^{verbessern}
indoles ^{unwiderlich} ^{unwiderlich}
insania ^{Wahnsinn}
desunere ^{unwiderlich}
expedire ^{unwiderlich}
paragonia ^{unwiderlich}
des allenum ^{unwiderlich}
salvere ^{unwiderlich}
orbatus ^{unwiderlich}
adferre ^{unwiderlich}
dominatus ^{unwiderlich}

neus ^{unwiderlich}


& CXLII ^{unwiderlich}
peculiaris ^{unwiderlich}
neutquam ^{unwiderlich}
renuantiem ^{unwiderlich}
conditio ^{unwiderlich}
origena ^{unwiderlich}
impensa ^{unwiderlich}
reprehensio ^{unwiderlich}



588.18

X 2429341





DISCIPLINA MORVM

IVVENIEVS LITERARVM STVDIOSIS
TRADENDA

APTISQVE PHILOSOPHORVM SENTENTIIS
ET SACRARVM LITERARVM DICTIS
ILLVSTRATA



AVCTORE

M. HENRICO KVNHARDT

ORD. PHILOS. ADIVNCTO
BIBLIOTHEC. ACAD. CVSTODE
ET IN PAEDAGOGIO COLLABORATORE.

HELMSTADII

SVMTIBVS C. G. FLECKEISENII.

MDCCLXXXIX.

